


Nf. 5.







DISSECTATIO
STICA
DE
DELLATIONE
DELLINQUENTIAM
PROPTIO NUMINE
HENRIGUS HEIDEGGERUS
22. Theol. D. & P. P.
GUILHELMO BRUNNENRO, V.D.M.
HENRICO BRENNY VADITION & THEOL. S.M.
Poffivide Symboli M. p. H. J. & S.
TICER
Typis DAVIDIS C. S. S. H. E. R. I.
M. DC. X. C. I. I.





I. **C**um multa sunt, quæ Pastoris Ecclesiastici curas & *Ἰησοῦ-
σα σιν* commotionem (1. Cor. XI. 28.) occupant: tum illud in-
primis ad industriam & procurationem Divinitus illi
mandatam pertinet, ut ovium sibi commissarum exorbi-
tationes & peccata religiosè observet, & spiritualis Medici adinstar,
idoneis remediis curet, ne Divinam temporalem & æternam male-
dictionem iis inconcilient.

Pastoralis
curæ pars
est, ut o-
vium exor-
bitationes
observe;

II. Sicut verò, juxta tritum illud, *ignoti nulla est curatio morbi*: ita
ante omnia peccatorum cognitio, & nonnulla etiam inquisitio defe-
ctuum & peccatorum populi haud postrema curæ Pastoralis pars est.
Licet enim curiosius secreta omnium rimari, hunc in finem, ut fama,
fortuna vel vita proximi per malevolentiam in discrimen præsens
adducatur, charitati, quam Deo, & propter Deum proximo debemus,
è diametro repugnet; *ἀδοτελαεπισκοπῆς, τῆς ἐρεγγίας & ψιθυρισμοῦ* crimen
incurrat; & plerunque alienæ vitæ rigidi exactores, propriæ incu-
riosi sint; hominum *genus*, uti Augustinus *Confess. lib. X. 11.* loquitur,
curiosum, ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam; ta-
men in univèrsam cognoscere & scrutari aliorum *ἡτήματα*, haud e-
quidem nefas est, si ita fiat, ex conscientia pura & charitate *ἀνυποκρί-
των*, ad Dei gloriam, & salutem proximi peccantis, vel ex alieno pec-
cato periclitantis; atque insuper scrutator ejusmodi, juxta S. Pauli
Gal. VI. 4. regulam, proprium opus suum prius exploraverit. Cha-
ritas enim à se incipit, & quisque secum habitare, salutem suam cum
timore & tremore operari; ac demum conversus fratres confirmare,
& transgressores vias Domini docere (Psal. LI. 15. Luc. XXII. 32.)
tenetur.

adeoque
easdem co-
gnoscant, &
in eas quo-
dammodo in-
quirat.

III. Præ cæteris autem omnibus cognitio & inquisitio mode-
rata, & generalis saltem, nec in conscientiam & perniciem errantis
peccatoris grassans (qualem in Ecclesia Romana Inquisitorum Fi-
dei & Confessionis tribunalia crudeliter sibi tribuunt) curatorem
animarum decet. Horum enim præcipuum munus est, contra hære-
ses & peccata populi sibi commissi vigilanter excubare, & correctio-
nibus ac correptionibus paternis atque fraternis delinquentes in or-
bitam fidei & pietatis revocare. *Fili hominis, יִשְׂרָאֵל speculatorem dedi-
ste domui Israhel. Audies igitur de ore meo verbum, & admonebis eos nomine meo.*

Cognitio-
nem & in-
quisitionem
illam Deus
curatori-
bus anima-
rum in-
junct.



Cum dixerō ego impio: Moriendō morieris, & non admonueris eum, nec locutus fueris, ut caveat impius, ut recedat à via sua impia; ipse in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram, Ezech. III. 17. 18. Obedite ductoribus vestris & subjacete. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri, ut cum gaudio id faciant, & non ingeniscentes. Hoc enim inutile vobis esset, Heb. XIII. 17.

Sunt enim speculatores, Episcopi, qui & speculari & visitare crebrò oves suas tenentur.

IV. Sunt ergo Pastores Ecclesiæ $\epsilon\pi\iota\sigma\kappa\omicron\pi\omicron\upsilon$. Speculatores, $\epsilon\pi\iota\sigma\kappa\omicron\pi\omicron\upsilon$ Episcopi. Attendite vobis ipsis & toti gregi, cui vos Spiritus S. praefecit $\epsilon\pi\iota\sigma\kappa\omicron\pi\omicron\upsilon$ Episcopos, ut pascatis Ecclesiam, quam proprio sanguine suo acquisivit, Act. XX. 28. Notat porò vox $\epsilon\pi\iota\sigma\kappa\omicron\pi\omicron\upsilon$ & Episcopus tum speculatorem, vigilem, inspectorem: tum visitatorem. Et Speculator talis, & visitator Pastor Ecclesiæ est. Sicut enim speculatores Romani huc illuc amandati occulta quæque investigarunt: ita quodammodo Ecclesiæ Ministris id ipsum incumbit. Sol quippe mundi, elogio Salvatoris, Matth. V. 14. cluent. Sol, radiosus ille mundi oculus, inferiora omnia aspicit & penetrat. Pari ratione Ecclesiæ Ministri, Ecclesiarum suarum oculi emissitii, circumspiciunt, & $\omega\epsilon\sigma\iota\chi\omicron\sigma\iota\nu$ attendunt, quæ hujus vel illius oviculæ, familiæ, societatis facies & constitutio sit; locum ne apud eas religio habeat, an ab iis exulet; an $\alpha\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$ $\tau\omicron\upsilon$ $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$ condignè Evangelio ambulent, Phil. I. 27. dicta factis adæquent, Divinis & humanis legibus obsequantur, nec ne. Huc facit munus visitandi Ecclesias & familias iisdem injunctum; exemplo S. Pauli Barnabam ita alloquentis: $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\epsilon\psi\alpha\nu\tau\iota\varsigma$ $\delta\eta$ $\delta\eta\pi\iota\sigma\kappa\epsilon\psi\omega\mu\epsilon\theta\alpha$ $\tau\omicron\upsilon\varsigma$ $\alpha\delta\epsilon\lambda\phi\epsilon\varsigma$ $\eta\mu\omega\acute{\nu}$ $\kappa\alpha\tau\omicron$ $\pi\alpha\sigma\alpha\nu$ $\pi\omicron$ $\lambda\iota\upsilon$. Reversi invisimus fratres nostros per omnes civitates, in quibus annuntiavimus sermonem Domini, cognituri, quomodo habeant, Act. XV. 36. Unde nihil eorum, quæ fidelibus conducerent, se subterfugisse; quò minus ea annuntiaret & doceret $\delta\eta\mu\omicron\sigma\iota\alpha$ $\kappa\alpha\iota$ $\kappa\alpha\tau$ $\omicron\iota\kappa\alpha\varsigma$ publicè & per singulas domus; idem S. Paulus Act. XX. 20. testatur. Ad Thessalonicenses pariter scribit: *Nostis quemadmodum unumquemque vestrum, tanquam pater liberos suos hortabamur & consolabamur, obtestabamur, ut ambularetis, sicut dignum est Deo, 1. Thess. II. 11.* Et S. Johannes piæ cuiusdam matronæ gaudium suum testatur, quòd ex domesticis & filiis ipsius invenerit, qui incederent $\epsilon\nu$ $\alpha\lambda\eta\theta\epsilon\iota\alpha$ in veritate, 2. Joh. 4. Ita quilibet Ecclesiæ Minister quodammodo $\omega\epsilon\iota\omicron\delta\epsilon\upsilon\tau\eta\varsigma$ est, licet munus isthoc Episcoporum vicariis Jura Canonica eximium fecerint.

Ad quam rem non sufficit de-

V. Neque enim Pastor Ecclesiæ pulchrè satis rerum suarum cætegit una atque altera concione & declamatione ad populum hebdomadatim defunctus. quæ quorundam, ventri suo potius, quam Deo.

Deo inservientium, stulta persuasio est. *sume tibi vas* שׁוּמֵ תִּבִי כֶּסֶף Pasto- elamatio
 ris stulti. Nam ecce, suscito Pastorem in terra, qui oves succisas non visitabit, publica, sed
 quod parvum est, non quæret, & quod contritum est, non sanabit, quod consistit, penitior in-
 non portabit, sed carnes pinguium comedet, & ungulas earum confringeret. vestigatio
שׁוּמֵ תִּבִי Va, Pastor idolum, qui derelinquet gregem, gladius erit super brachium status om-
 ejus, &c. Zach. XI. 15. 16. 17. Quin potius, sicut Mirhidatem, Ponti nium.
 Regem, duarum & viginti gentium, quæ ejus imperium suspicie-
 bant, linguas didicisse ferunt, ut sine interprete suos audire & coram
 alloqui posset; & de Cyro Persarum proditum literis est, quod im-
 numerosissimo exercitu suo omnia singulorum nomina noverit, gna-
 rus etiam sine monitore quosvis salutare, & ad fortitudinem atque
 officium strenuè peragendum stimulare: ita Pastoris Ecclesiastici est,
 auditores suos omnes, quos in curam & fidem suam publica & so-
 lenni stipulatione coram Sanctæ Trinitatis facie recepit, & de qui-
 bus tremendo illo Jesu Christi tribunali coram respondere eum o-
 portet, in numerato eos habere, & exactè novisse, non de facie dun-
 taxat, sed in primis de animo; hoc est, ut illorum in doctrina profe-
 ctum, ingenium, mores, conversationem, nævos, quibus in doctrina
 vel vita laborant, fortunam externam, aliâque id genus ad curam
 ejus pertinentia, probè cognita & explorata habeat, atque noverit,
 quando vel doctrina, vel redargutione, vel institutione, vel corre-
 ctione, vel consolatione apud illos non publicè duntaxat, sed priva-
 tim etiam defungendum sit. Boni enim Pastoris officium est oves
 suas ad læta, & pingua Verbi Divini pascua ducere, *perditas requirere,*
abjectas reducere, contractas obligare, agroras consolidare: pingues contra & for-
tes, seu petulantes coercere, & in judicio pascere, Ezech. XXXIV. 15. *nonaginta*
novem oves in deserto relinquere & ad unam perditam, usque dum eam repere-
rit, proficisci, Luc. XV. 4. Quem scopum nisi cognita omnium indole,
 ingenio, conversatione, virtute, & à virtutum tramite aberratione,
 assequi nunquam poterit.

VI. Cum verò in scrutinio, cognitione & cura peccatorum, Cognitioni,
 eorum in primis, quæ occulta dicuntur, creber usus sit *delationum,* per scrutinio
 quas peccata ad Pastores, & ab iisdem ad Ecclesiam, ac quandoque & cura
 etiam ad Magistratum civilem deferuntur, de his solis & universis peccato-
 in præsentiarum, ob dubios circa easdem incidentes casus, quorum rum dela-
 enodatio, à paucis equidem, & de industria à nemine hactenus, quod tio delin-
 sciam, tentata, & utilis, & propemodum necessaria nobis videtur, in quentium
 præsentiarum edisserere nobis animus est. Quo quidem in expli- inservit, de
qua in uni-

versum a.
gere, pal-
marium
institutum
est.

Delatio, seu
denuntia-
tio non i-
dem est
quod Δγ-
βολή, vel
συκοφαν-
σία, vel
quadrup-
platio: nec
delator
quivis est
הוֹלֵךְ רַבִּי

cando & excutiendo argumento hunc ordinem tenebimus, ut primò de Delatione delinquentium in universum dicturi: inde explicaturi simus, quæ delatio tum quorumvis, tum Pastorum Ecclesiæ in primis in foro sive Divino, sive Ecclesiastico, sive Politico, sive privato etiam locum habere possit.

VII. Delatio *indicium rei occulta est*. Græci μήνυμα & μίνυσιν delatorem verò μινύτορα appellant. Perperam verò Macrobius *Saturnal. l. VII. 3.* Δγβολήν delationem reddit, cum hæc potius sit criminatio, quæ in vitio semper est, & Sathanæ, non sancto ulli convenit. Delationis verò vox media cum sit, quædam pia & honesta esse potest. Quamobrè perperam etiam Herodianus delatorem συκοφάντην insignit, cum & hæc vox delatorem non quemvis, sed calumniosum significet. Neque rectius *quadruplatorem* alii appellant, quia quadruplator non quivis olim delator fuit, sed is demum, qui rem ad fiscum pertinentem ei præmii, puta quadrupli, causa (cum prius Lex Papia dimidiam bonorum portionem delatori vindicasset) denuntiare suevit. velut qui crimina publica, bona caduca, vacantia, commissa, tacita fidei commissa, vaga mancipia, thesauri inventionem nuntiavit. Hebræis quoque הוֹלֵךְ רַבִּי vel רַבִּי הוֹלֵךְ (Levit. XIX. 16. Prov. XI. 13. XX. 19. &c.) non quivis delator est, sed is demum, qui famam proximi nundinatur, domatim mercatoris vel aromatarii (Speci-frâmer) instar, ambulando & rumores conquirendo existimationem & famam proximi in commercio habet; mercede sola animi livori, levitati & malevolentia suæ satisfaciens, ut *qui proprio, quo innotescat, bono caret, ex alienis malis se commendat*, uti nundinatores, seu delatores ejusmodi non tantum mercium, quàm verborum, quæ ab uno empta alteri vendunt, Maximus *Serm. 53.* describit. Latinis verò in universum *deferre* idem est, quod *indicare*: sicut delator *index*. Hinc *deferre* vocem alicujus est *indicare* quid dixerit. Quomodo Clodio dicente, Milonem triduo, vel ad summum quatrinduo periturum, Cicero pro Milone dixit: *Quam vocem ejus ad M. Catonem statim Favonius detulit.* Unde etiam Germanis *deferre* idem est, quod *anzeigen / anmelden / vel Lâiden*/quod veteres *leiten* dixerunt. Quæ vox huic argumento propria, & usitata in primis est, quia per delationis delinquentis peccatum ad judicem dirigitur (*geleitet wird.*) Fatendum enim, vocem Latinam delatoris & delationis, mediam licet, usu tamen *δύσφημον* esse, quia plerumque delatores ad deferendum non charitas erga delinquentem, vel *Rempublicam*, sed odium, livor, criminandi libido, atque subinde etiam

etiam lucrum impellere fœvit, ne dicam, à delatoribus hæud raro innocentes falforum criminum arceſſi, ut horum fama, fortuna & vita in præſens discrimen veniat. Unde delationem *maximum malum* Imperator dixit. Adeoque turpe factum eſt uſu delatoris nomen, ut l. 3. *C. de injur.* injuriarum teneatur, qui alium *delatorem* appellat. Nos verò non tam vocis uſum aliena vi, & apud quosdam receptum, quàm rem ipſam ſpectamus.

VIII. Eſt igitur Delatio ſeu Denuntiatio indicium delicti occultum factum ei, qui delinquentem emendandi vel puniendi jus habet. Jurisconſulti quidem accuſationem, inquisitionem & denuntiationem ita diſtinguunt; quòd *Accuſatio* ſit rei alicujus per libellum ad judicem delatio, ad quam requiruntur tres perſonæ, accuſator, accuſatus & judex: *Inquiſitio*, qua judex non exiſtente accuſatore ſeu actore ex officio ſuo de crimine aliquo inquit: *Denuntiatio*, ſeu vulgò dicta delatio, quando per denuntiatorem, clam eo, qui denuntiat, crimen ad judicem deferitur. quæ poſtrema poſſimùm in foro Eccleſiaſtico obtinet. Aliam enim ſignificationem denuntiatio in Romanis legibus habet, uti copioſè Alciatus in l. *Detectatio. de Verb. ſignif.* demonſtrat. Juxta Canoniſtas verò accuſatio non ſine accuſatore; inquiſitio non ſine infamia inquirendi; & denuntiatio non ſine correptione privata procedit. quod poſtremum cum grano ſalis accipiendum eſſe, infra dicemus. Tum Denuntiatio ſeu delatio verſatur circa ſecreta, tanquam materiam propriam. Sicut enim prudens taciturnitas ſecretorum premendorum, non propalantium directrix virtus, & annulus ille ſignatorius, quem Hephæſtionis ori Alexander M. admovit, eſt: ita delatio honeſta circa ſecreta aperienda occupatur. Euripides, quòd ſecretorum tenax eſſet, multa arcana in ore ſuo computruiffe, ideòque malè ſe olere, jocatus eſt. Contra delator ſecreta aperit, & foras, quòd vult, eliminat. Unde in univerſum Delatio deſiniri poteſt, quòd ſit *indicatio clam, ſeu abſente accuſatore, dicta vel facta alterius patefaciens.* quæ ſi recto animo & inſtituto, puta corrigendi peccatorem, & humanæ ſocietati ac gloriæ Dei conſulendi ſuſcipiatur, honeſta: ſi impellente odio, invidia, lucro, calumniandi pruritu, infamis meritò & virioſa cenſetur.

IX. Eſſe porro delationem quandam honeſtam & legitimam, nullo negotio comprobari poteſt. Ipſa enim vox deferendi nativa ſua vi media eſt, adeoque in bona & mala cadit. Deferri enim aliquid ex officio, rectoque conſilio ad alium, velut parentem, magiſtratum,

Delatio deſinitur, & ab accuſatione & inquisitione diſtinguitur.

Delationem quandam honeſtam & legitimam

esse, argu-
mentis,
Scripturae
dictis;

stratum, Pastorem potest. Ergo vi conjugatorum, delatio quaedam bona & honesta esse potest. Quomodo etiam Græca vox μήνυσις, & Germanica Laidung, quævis patefactio certo quodam indicio & argumento esse potest, velut in illo Aristotelis: ἡ ἀρετὴ ἢ δοκεῖ μὴνύειν ἀρετὴν, excellentia indicat virtutem. Potest autem patefactio, indicatio quaedam carere vitio omni, adeoque recta censeretur. Tum cognatæ species idem probant. Exploratio enim, bellum, accusatio, censura de moribus & vita quaedam justa, honesta, necessaria esse potest: adeoque etiam delatio. Sicut enim bello flagrante exploratores hostium consilia explorant, ut suis ad victoriam legitimis mediis aditum patefaciant: ita delatores pace vigente, civium mores observant, ut in vita humana honestati & tranquillitati locus detur. Præterea Lex Divina Levit. V. 1. sic sonat: *Cum anima peccaverit, ושמעו קול אלהים* ita ut audiverit vocem juramenti (vel adjurationis) & ipse sit testis, qui vidit, vel scivit; ואלא אם כן si non indicaverit, feret pœnam iniquitatis suæ. Fateor equidem, sensum Legis illius simpliciore videri, quod a iudice in delictum inquirente adjuratus, ut testimonium veritati reddat, si delictum viderit, vel certò cognoverit, neque tamen ita adjuratus illud indicaverit, denuntiaverit, iniquitatis suæ pœnam laturus, imò criminis ita delati reatum ipse subiturus sit. Nihilominus si iudici licet adjurare testem, ut sibi visa vel nota denuntiet, etiam sine adjuratione ejusmodi denuntiationem non omnino vitiosam esse consequitur. Non enim iudex ausit juramento imponere delationem criminis, si delatio omnis vitiosa est. In eandem verò rem sic Solomon loquitur ואלא שמעו ואלא שונא נפשו אלהים ואלא שונא נפשו אלהים: *Qui participat cum fure, odit animam suam: Maledictionem audit, & non indicat;* Prov. XXIX. 24. Quorum etiam verborum sensus proprius non is est, ne perjuriam, diras, blasphemias, omnemque nominis Divini abusum dissimulemus (quamvis sensus ille non omnino alienus, & omnino verum sit, redarguendum esse proximum, juxta illud Levit. XIX. 17. *Non habebis odio fratrem tuum; sed corripiendo corripias proximum tuum; ne propter illum peccatum feramus,* hoc est, cum peccato ejus communicemus) sed hic potius, quod qui ab homine, puta iudice, adjuratus, annon hoc vel illud viderit, vel cognoverit, non indicat visa vel cognita; perinde faciat, atque si cum fure partiretur, & animam suam odio haberet. Alludit igitur Solomon ad legem Divinam, & delationem quandam licitam esse eadem ratione, quam in Lege Divina ipsa ostendimus, haud obscure innuit. Sed & Christus ipse

ipse delationem quandam mandavit his verbis: *Si non audiverit* (correctores) *εἰπὲ τῆ ἐκκλησίας, Dic Ecclesia*, Matth. XVIII. 17. Et S. Paulus I. Tim. V. 19. vetans, ne Timotheus contra Presbyterum *κατηγορίαν* accusationem suscipiat, nisi duobus vel tribus testibus contra illum consistentibus, delationem quandam etiam apud Ecclesiae Pastores vel Evangelistas (talis enim Timotheus erat) licitam esse innuit. Est enim delatio species accusationis, proportionem, & justum ordinem ad defensionem & conservationem Societatis publicae habens. Insuper etiam actus est virtutis iustitiae, quatenus est vindicatio injuriarum atrocium ex autoritate publica. Cum enim Magistratus sit *Dei Minister, vindex ad iram ei, qui malum parat*, (Rom. XIII. 4.) quomodo ministerio hoc fungetur, si desint indices & denunciatores eorum, qui mala parant? Licet enim ex jure naturali & Divino ad sententiam judicalem ferendam tantum sufficiens facti testificatio, quae sine accusatore & delatore quandoque haberi potest, requiratur; tamen non adeo manifesta semper facti evidentia est, ut delatorum vel accusatorum usus omnino nullus sit. Quin potius juxta illud Apuleji, oportet Imperatori esse aures Regias, & oculos quosdam, quorum officiis discat, quicquid ubique geratur. In aliis etiam vitae generibus exploratoribus locus est. Nam & paterfamilias delatoribus utitur ad cognoscendum statum familiae; & Ludimagister procul omni culpa per corycaeos discipulorum sequiora facta cognoscit; & belli dux per exploratores secretiora rimatur. Denique delictorum dissimulatio delationi opposita, communicatio quaedam cum alieno peccato est. *Hac fecisti, & tacui; Propterea existimasti me tibi similem esse. Sed arguam te*, &c. Psal. L. 21. Unde inter eos, qui cum alienis peccatis communicant, etiam non retegentes culpam numerantur, juxta versus decantatos:

*Consulo, precipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed precipio & defendo aliena.*

X. Honestae delationis exempla etiam sacrae paginae suppeditant. Ita enim Josephus *בא רבת רעה* detulit (*ψόγον πονηρὸν*) malum *demonstratur*, vel infamiam fratrum suorum ad parentem, Genes. XXXVII.

2. Quod cum & optimo consilio & apud benevolentem filiis suis patrem, & modo debito fecerit, culpa omni vacavit. Nam nec Jacobi parentis, nec boni ullius reprehensionem eo nomine incurrit. Cum enim ipse fratres suos corrigendi autoritate & potestate non

B

polle-

polleret, rectè & ordine ab eo factum, quòd ad eum mala facinoræ detulit, qui corrigendi sine corporali & spiritali detrimento, jus & potestatem habuit. David quoque à facie Absolonis fugiens, Hierosolymis Tzadokum, & alios exploratores Chuzai, Tzadokum, Abiatharem reliquit, מַגִּידִים *indicatores, delatores*, qui nuntiarent sibi consilia hostium, 2. Sam. XV. 28. 35. 36. Similiter Jonathan Davidi מַגִּיד *indicavit* consilia sanguinaria patris, 1. Sam. XIX. 2. & nepos Pauli conjurationem Judæorum ad ipsum Paulum, & mox ad Tribunum militum detulit, Act. XXIII. 16. Chloe quoque Corinthiorum lites ad S. Paulum detulit: *Manifestum est mihi de vobis, fratres, à Chloe, quòd lites inter vos sint*, 1. Cor. I. 11. Denique experientia testis est, delationi honestæ Regna & Respublicas conservationem suam quandoque acceptam retulisse. Nam & in Anglia delatio & indicium amico factum, & à Rege Jacobo sagacissimè evolutum, à sacris capitibus interitum, quem iis immanes & Cerberei *πυροβόλοι* machinabantur, Thuano, Casaubono, aliisque narrantibus, avertit: & Tigurina Respublica à turbatoribus Reipublicæ, noviter à civibus patriæ amantibus erectæ, vexata delationi pueri unius incolumitatem ad hæc usque tempora feliciter productam debet.

*Qui non ob-
stat vel in-
interdi-
ctum Divi-
num arca-
na non re-
velandi;*

XI. Neque delationem honestam testimonia quædam Scripturæ allegari à quibusdam solita ferunt. veluti cum David dicit מְלוֹשֵׁי בְּסִתְרֵי רֵעֵהוּ אֶצְמִיר *Perdam eum, qui clam mihi desert proximum suum*, Psalm. CI. 5. אִישׁ לְשׁוֹן *vir lingua*, seu delator, non prosperabitur in terra, Psal. CXL. 12. Non enim quivis delator est מְלוֹשֵׁי *linguosus* & אִישׁ לְשׁוֹן *vir lingua*, sed is demum, qui linguâ sua dominatur & grafsatur in perniciem proximi, more illorum, qui impotenter ita se efferunt: לְשׁוֹנוֹ נִגְבֹּר *linguam nostram corroboremus, labia nostra nobiscum. quis dominus nobis?* Psal. XII. 5. Solomon quoque passim quidem secretorum revelatores detestatur. הוֹלֵךְ רֵבִיל מִגִּלְהָ סוֹד *Qui obtrectat, revelat secretum, & qui fidelis est animo, tegit rem*, Prov. XI. 13. *Qui revelat arcanum, obtrectator est*, Prov. XX. 19. Verùm ei sermo est non de delatione honesta, sed de temeraria & inverecunda propalatione eorum, quæ salva conscientia, citra offensam Dei, Reipublicæ vel proximi celari possunt & debent. Cujusmodi sunt consilia, facta, vel facienda proximi innoxia, infirmitates humanæ, aliæque ejusmodi, uti quidem verbum גִּלְהָה *aliquando revelationem inverecundam notat*, veluti cum revelantur membra verenda, Levit. XVIII. 6. XX. 11. &c. opes vel thesauri reconditi, Jerem. XLIX. 19. fundamenta Urbis, Mich.

Mich. I. 6. Habent enim arcana sua Principes, patres-familias, artifices, mercatores, alii, quæ citra ullam noxam silentii supparò involvi, inprimis si fidei alterius credita sint, possunt. Quomodo etiam iusto omnium odio laborat Medicus, qui apud ægrotantem visa & audita in verecundo gutture propalat. Nempe juxta Poëtæ illud:

Eximia est virtus, præstare silentia rebus:

At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Injusta enim secreti revelatio perniciosam fidei, amicitiæ, honestatis violationem haud rarò involvit, adeoque inter maxima peccata deputatur, tum communi & tacito consensu hominum; tum Legis Divinæ sententia. *Non inimicus probris me affecit; sed tu homo instar mei, dux meus & notus meus, וְאֵת יְהוָה נִמְתִּיק סוֹר* qui secretum invicem suaviter communicabamus, Psal. LV. 13. 14. 15. Quos *πρωτόνων* proditorum nomine S. Paulus 2. Tim. III. 4. perstringit. Qui verò officii sui & salutis proximi habita ratione, non evertendi, sed ædificandi animo, & citra fidei datæ violationem, secreta quædam rupto intempestivo silentio, revelat, & defert ad eos, quorum est pro salute publica excubare, quod honesti delatores faciunt, nullius, nedum fonticæ culpæ rei sunt, sed id instituunt, quod viros bonos, & honestos decet, & quod citra communicationem cum alieno peccato omittere nequeunt. Est etiam, ubi Amyclas silentium perdidit.

XII. Multò minùs honestæ delationi officit, quòd nomen ^{vel infamia} ipsum infamia laborat, & delationibus haud rarò pœnæ decretæ ^{delatorum} sunt. Quomodo Tacitus Annal. IV. 30. 5. delatores ^{apud veteres, Romanos inprimis;} *genus hominum publico exitio repertum, & pœnis nunquam satis coercitum; & Hist. II. 53. 2. invisum memoria delatorum nomen vocat.* Senatus quoque Romanus sic Imperatori Pertinaci, post Commodum, delatorum operâ usum, apud Lampridium in Commodum acclamavit: *Nunc securi sumus: Delatoribus metum: salvi sumus, delatores de senatu; Delatoribus fustem, te salvo: Delatores ad Leonem, te imperante: Delatoribus fustem &c.* Mitto authorum veterum adversus delatores *συλτευπικὰ* complura. Quæ tamen ad rem nihil faciunt, quia de delatoribus non quibusvis, sed illis demum, qui improbæ & tyrannicæ dominationis instrumenta sese gerentes, & insidiosè se occultantes, nil deinceps pensi habebant, quos, qua de causa, quòve modo delatos odiosos redderent, dum Mœcenatibus suis in quavis re, pessima etiam, inservirent, intelligenda omnino sunt. Tali fraude usus Tarquinius superbus, insignitæ nequitiae Tyrannus, suos, narrante Dionysio Halicarnassæo lib. IV. habuit *κατό-*

πλάς καὶ διερευνητοὺς τῶν λεγομένων τε καὶ πραγματοποιμένων, *speculatores & exploratores eorum, quæ dicerentur & gererentur.* qui vulgo ignoti confabulantibus se miscebant, & tyranno obtrectantes, singulorum animos pertentabant, ut quos ei minùs propitios reperissent, ad Principem deferrent, qui convicti acerbis pœnas dederunt. Fuerunt etiam Tyranni, qui delatoribus promiscuè omnibus fidem haberent, quomodo de Tiberio dicitur astutè solito, *jura subverti, si legum custodes amoverentur*, Suetonius in vita ejus scribit: *Nemini delatorum fides abrogata.* Idem Suetonius in Nerone, Corycæos ab eo adhibitos in rebus etiam minùs feriis testatur. *Dispositi*, inquit, *etiam erant, cum carmen recitaret in theatro, multi & plures occulti, qui vultus alacritatem tristitiâque observarent.* Eorum autem iudiciis, qui aliqua in re peccassent, aut statim aut mox gravi pœna afficiebantur. Hieron quoque Syracusanorum tyrannus eodem modo, Aristotele *Polit. lib. V. 11.* narrante, submisit ὠτοκροῦς *Otaustas*, seu *Emissarios auritos*, quos Syracusani sua lingua *Potagogidas* (delatores) insigniebant; qui in omnibus conventibus & circulis hominum de se sermones captarent, & loquendi libertatem minuerent. Nam tyrannos per ejusmodi delatores loquendi audiendique commercium ademisse, Tacitus *Agric. 2. 3.* queritur. Quod perversum eorum institutum à Persarum Regibus Cyro, Dario juniore, Artaxerxe exortum ad Romanos Cæsares tyrannos manasse, Arnisæus Politicus insignis, *de Repub. lib. II. cap. 3.* ariolatur. Atque hi delatores non minùs quàm tyranni ipsi omnibus bonis meritò invisi fuerunt; adeò ut Imperatores boni eos pœnis etiam subjecerint. Nam & Vespasianus magna cum laude delatores ejusmodi flagris per aream amphitheatri cœsos abegit: & Antoninus Pius, si nihil eorum, quæ detulere, probassent, capitali supplicio affecit; sin etiam probassent, infames haberi voluit, jussit; & Trajanus in navibus maris & scopulorum periculo objectos, sine remis & velis, naufragio exposuit, uti Dio Cassius, Xiphilinus, Flavius Vopiscus, alii testantur. De Pelopida quoque referunt, quòd cum bonus quidam miles apud ipsum deferretur, quasi Imperatori convitium fecisset, responderit: *Facta illius aspicio: verba non audivi.* Quæ prudentia hodièque publicis & privatis rebus necessaria erat, cum id genus hominum, utpote latrones potius quàm delatores, ad Garamantas & corvos relegandum, omnia, ipsam etiam Christi Ecclesiam, in primis sacerdotum quorundam & Inquisitorum, qui à muscis suis innocentes captos nefariè evertunt, tribunalia tyrannica pervaserit. Neque tamen ideo laude sua defra-

fraudandus est vir bonus, qui sceleratum nebulonem ad Magistratum defert, dummodo Magistratus caveat, ne quid vis cuius de quovis referenti credat; & secundum leges in eos, qui hoc munere abutuntur, animadvertat. Nam juxta Domitiani illud, *Princeps, qui delatores ejusmodi non punit, irritat.* Nihil enim obtreptione ejusmodi insidiosa magis volucre; nihil facilius emitti, nihil citius excipi, latius dissipari solet.

XIII. Denique nec illud delationem quamvis illicitam reddit, quod nemo se & consilia sua prodi ac deferri cupiat. cui mox accommodant illud juris naturalis scitum: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Si enim ratiocinatio talis reciperetur, nemo ob quodcumque crimen plecti amplius posset. Quotusquisque enim in poenas suas libens consentiat? Paratum esset latronibus, parricidis, furibus responsum: Tute plecti nolis; proin nec me plectere jure potes. Videndum hic, non quid reo placeat, sed quid æquitati & justitiæ congruat. Etiam Josephi fratres delationem fraternam animo iniquissimo ferebant. Sed non minus justa illa & laudabilis fuit, utpote quam pietatis & honestatis amor extorsit.

XIV. Ne verò putemus, honestæ delationis titulo quidvis concedi posse, quibus conditionibus & legibus illa honesta fieri possit, dispiciendum. Honestæ autem illa efficitur hoc generali indicio, si in causa honesta, ex autoritate legitima, finis honesti intuitu, per media honesta progrediatur, atque tanta delationis utilitas sperari possit, ut malo & infamiæ proximi, qui delationem patitur, præponderet. Planè sicut bellum justum & honestum illud reputatur, quod in causa justa, sine justo, per media Divinitus concessa, plus humanæ societati profuturum, quam obfuturum præsumitur.

XV. Honestæ igitur & legitima delatio fit *Primò*, si fiat animo & intentione abrumpendi peccatum, sive id fiat per emendationem peccati, sive per coërcitionem & poenam ejusdem infligendam ab eo, qui jus puniendi habet. Ita Christus peccatorem contumacem, ut corrigi possit, ad Ecclesiam deferri jubet, Matth. XVIII. 17. Et S. Paulus lites fidelium ad fideles deferri jubet, ne coram infidelibus disceptandi cum scandalo necessitas incumbat, 1. Cor. VI. 1. 5. Atque eodem animo Josephus fratres suos apud parentem detulit. Neque hic charitatis regula læditur. Qui enim clam peccavit, is clam moneri potest. Si non emendetur, pietatis ratio postulat, ut ad superiores deferatur, per quos emendari & coërceri potest. Ab-

vel ratio illa, quod nemo se ac consilia sua prodi ac revelari cupiat.

Ratio generalis, qua delatio honesta & legitima esse potest, indicata.

Tribus modis honesta & legitima efficitur.

que hoc enim est, peccandi cursus sufflaminari nequit, cum tamen eum sufflaminari & charitas jubeat, & peccatoris interfit; ut ubi peccatum coepit, ibi non commoretur, sed ilico potius commoriatur. *Secundo* honesta erit, sit fiat causa vitandi ingens periculum, sive universitati illud, sive singulari personae à malis & insidiatoribus illud imminet. Quomodo nepos S. Pauli in necem ejusdem conjuratos detulit, Act. XXIII. 21. Quod factum non solum consanguinitatis jus, sed studium etiam pietatis, & amor erga proximum innocentem tuebatur. Ita si honestus civis Patriae salutis studiosus, libertatis & pacis publicae insidiatores detulerit, laudabile facinus omnes merito deputabunt. *Tertio* huc faciunt Jurisconsultorum regulæ, honestam delationem definiunt; Si delatio & vera sit, & non spe præmii potiundi, vel consilio proximi lædendi, sed Reipublicæ & proximo inserviendi animo suscipiatur; & sui quandoque defendendi gratiâ instituat. Veluti si vir bonus & innocens homicidii vel furti crimine arcessatur, atque is homicidii & furti ejusdem authorem compertum habeat, fas ei ad iudicium sui que defensionem vocato erit, authorem verum deferre, ut ipse innocens liberetur.

Nec quisvis delator, nec in quovis negotio, nec semper admittendus; nec admisso temerè fides habenda est.

XVI. Ad legitimam insuper delationem requiritur, ut nec quisvis delator admittatur, nec temerè fides etiam admisso habeatur, nec semper admittatur, nec in quovis negotio, nec contra quosvis. Danda ergo iis, quorum interest delatores habere, opera est, ut iis demum isthoc munus committant, quorum spectata præ cæteris fides & integritas est. *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum. Ambulans in via perfecta, iste ministrabit mihi.* Psal. CI. 5. Sicut enim Præceptor corycæos non ex corruptis, sed integris, probis & diligentibus; atque paterfamilias ex fidissimis deligit: ita ii, quorum interest habere, qui denuntient, delectu utantur oportet, ne munus isthoc iis injungant, qui præ cæteris deferendi ipsi fuerant. Tum nec delationem quamvis suscipere, nec delatos ob solam delationem damnare fas piùmque est, cum delatio remedium quidem sit cognitionis eorum, qui emendandi vel puniendi sunt; sed nec infallibile, nec solum, sed cum aliis certioribus indiciis conjunctum. Soepe enim per errorem vel malivolentiam pii deferuntur, quos mox certioribus argumentis explorata veritas noxæ eximit. Est etiam, ubi verba & facta in pravum sensum detorquentur, quæ in meliorem partem accipi poterant. *Viri sanguinarij oderunt integrum, at recti requirunt animam*
ejus,

ejus, Prov. XXIX. 10. Unde Lex Divina disertè prohibet: **אִשָּׁת אֶבְיָוֹת** *Non accipias famam ἀδελον*, Exod. XXIII. 1. & duos vel tres testes ad iudicium exigit, Num. XXXV. 20. Deut. XVII. 6. XIX. 15. Laudatusque haud immeritò veteribus est Domitianus Imperator, qui delatoribus ipsis animadversores ordinavit, ut delatorem alium delator ipse timere haberet. Contra Tiberio tyranni nota vel eo nomine meritò iniusta est, quòd delatores & quosvis, & semper, & adversus quosvis libenter admisit, quia malè factorum conscientia pavescens timuit, ne, qui omnes læsit, jure talionis ab omnibus vicissim læderetur, & malè, uti meruit, periret. Sapientissimè Solomon: **מִשָּׁל מַלְכֵי מִשְׁפָּטֵי עַל דְּבַר שְׁקָרָהּ כָּל מִשְׁרָתָיו רָשָׁעִים** *Qui in potestate est, si attendat ad verbum falsitatis, omnes ejus ministri improbi, scelesti fiunt.* Prov. XXIX. 12.

XVII. Se ipsum verò ultrò deferre nemo tenetur; ac si nullo ejus infamia præcesserit, ne anquisitus quidem, vel sub juramento etiam interrogatus, an noverit quempiam hujus vel illius delicti reum. Nemo enim in se ipsum animadvertere, vel ad sui punitionem ac interitum directè cooperari tenetur. Neque etiam tum ex intentione judicis, qui secundum juris viam procedit, de se ipso interrogatur, vel, non diffamatus ante, seu gravem in suspensionem patratu facinoris non adductus, interrogari de se ipso potest. Nunquam enim iudex vel de iis, quæ penitus occulta sunt, vel de homine integræ famæ, & ἀνεγκλήτω unquam, tanquam reo & authore occulto delicti patentis, interrogare, vel inquirere, secundum juris formam, potest. Ad eò verò naturæ repugnat, ut quis sui ipsius se proditorem ac delatorem gerat, in gravi præsertim periculo, ut inquisitiones, quibus de se ipso, in causa in primis criminali, aliquis illibati nominis, etiam sub juramento, quod *inquisitorium ex officio* vocant, & in Hispanico-Romana Inquisitione usitatum est, interrogatur, vim naturæ ipsi adferant, & horrendis perjuriis occasionem præbeant. Aliud est, si quis ob peccatum manu Dei tactus, vel conscientia urgentis vi compunctus, exemplo Achanis, quem fors Divina percussit, ipsemet Deo honorem dare, & non ipsi solùm, sed etiam iudici & societati, adversus quam deliquit, peccatum ultro confiteri & revelare, satisfactionemque debitam offerre statuerit. Ejusmodi enim sui ipsius spontanea delatio & delinquentis conscientiam multum sublevat, & justitiæ exercendæ ansam præbet, & Deo honorifica, & hominibus, quibus offensis jus suum reddit, a prime utilis atque salutaris est.

Se ipsum deferre nemo tenetur, ne anquisitus quidem à iudice, nisi ultro, conscientia vi adactus, se deferre velit.

XVIII.

Delationis
divisio a-
pud Cano-
nistas re-
cepta im-
probatur.

XVIII. Decantata apud Juris Canonici peritos distinctio est delationis, seu denuntiationis, ut alia sit *Evangelica*, quæ per Evangelia inducta est, juxta Matth. XVIII. 17. alia *Canonica*, quæ per Canones inducta est, qua proceditur specialiter vel generaliter, ut removeatur aliquis ab officio, dignitate, beneficio; item, ut clerici, vel laici à criminibus arceantur; vel denuntietur alicujus promovendi indignitas, matrimonii impedimentum, &c. alia *Judicialis*, qua procedit judex contra maleficos, ut crimina pœna publica puniantur: alia *Regularis*, qua proceditur in Ordinibus regularibus contra ipsos Religiosos, juxta eorum Canones, constitutiones & Regulas. Non desunt tamen, quibus minùs accurata distinctio videatur, eò quòd divisionis hujus membra coincidunt; cum Canonica & Regularis etiam Judicialis esse possit. Addo, perperam etiam Evangelicam & Canonicam distingui; atque insuper Regularem tam otiosam esse, quàm otiosæ & frigidae sunt regulæ ab hominibus otiosis, & non tam religiosis, quàm tristi superstitione pallentibus, inductæ.

Ejusdem
divisio jux-
ta forum
quadruplex,
Divinum,
Ecclesiasticum,
Politicum
& Privatum,
in quorum
quovis de-
latio locum
habere po-
test, insti-
tuitur.

XIX. Rectius delatio delinquentium juxta forum, quod delinquentes fortiri possunt, distinguitur. Quadruplex autem peccator forum subire potest; puta *Divinum*, *Politicum*, *Ecclesiasticum*, & *Privatum*. uti quidem peccator reconciliari debet tum *Deo*, in quem peccavit: tum *Magistratui* & *Reipublicæ*, quam & ipsam offendit: tum *Ecclesiæ*, in quam redundavit scandalum & opprobrium inde, quod quidam Ecclesiæ civis improbè se gessit: tum denique *Privato*, si forte privatum peccato suo læsit, aut injuria affecit. Quod in uno horum agitur, vel transigitur, alteri non præjudicat, nec facultatem jus suum prosequendi adimit. Ita privatus condonavit injuriam sibi factam, puta cœdem fratris vel cognati. Hoc non obstante, integrum est Ecclesiæ, & *Reipublicæ* pœnam exigere. Quin etsi cum Deo perveram pœnitentiam transactum sit, *Respublica* tamen non tenetur condonare multam sibi debitam, nec Ecclesia satisfactionem Canonicam. Sic absolutus in foro Ecclesiastico nihilominus obligatur ad subeundam pœnam à *Republica* decretam, & viceversa, qui *Magistratui Politico* satisfacit multa vel carcere, hoc ipso Ecclesiæ reconciliatus non est. Cum verò cuivis foro delicti adversus se commissi, quatenus id aboleri interest, notitia necessaria sit, quousque delatio delinquentium cuivis inservire debeat, facile intelligitur.

In foro Di-
vino prin-

XX. Et DEUS quidem, adversus quem solum propriè peccatur, delatione, ceu medio notitiæ peccati, nullatenus indiget, quia

607 A 116

coram oculis eius omnia nuda & resupinata sunt, Heb. IV. 13. Nihilominus cipali. Deus
 Satanus hominem defert apud Deum: unde κατήγορος τῶν ἀδελφῶν delatione
 accusator, delator fratrum vocatur, quia eos die & nocte coram Deo nostro nulla indi-
 κατηγορεῖ accusat, defert, Apoc. XII. 10. non sine mendacio & crimina- get, dela-
 tione manifesta. Quis enim ἐγκαλέσει accusationem intentabit electis Dei? tores te-
 Θεὸς ὁ δίκαιός, Deus est, qui justificat, Rom. VIII. 33. Etiam λογισμοὶ cogi- men dan-
 tationes hominis male sibi conscii cum κατηγοροῦσι accusant, apud judi- tur.
 cem Deum deferunt, Rom. II. 15. Moses, seu Lex Moïsi, est ὁ κατηγορῶν
 ἡμᾶς, qui nos accusat, Joh. V. 45. Sed & fideles ac electi eorum, à quibus
 iniquè hac in vita vexantur & occiduntur, apud Deum justum judi-
 cem delatores se gerunt. Quomodo Deus ad Cainum fraternæ cæ-
 dis reum dicit: Vox sanguinum fratris tui **Καὶ** clamat ad me è terra,
 Gen. IV. 10. & Electi ad Deum vindicem malorum sibi illatorum cla-
 mare die ac nocte dicuntur, Luc. XVIII. 7.

XXI. In eodem Divino foro Ministris & Legatis suis Deus In foro eo-
 utitur, quorum præconio humano generi reconciliari vult. dem Mini-
 Pro Christo legatione fungimur: tanquam Deo admonente per nos, oramus pro Christo. steriali de-
 Reconciliamini Deo, 2. Cor. V. 20. Quibus etiam potestatem ligandi & latio ad
 solvendi, remittendi & retinendi peccata Christus impertitus est, Pastores
 Matth. XVI. 19. XVIII. 18, Joh. XX. 13. citra tamen præjudicium po- tum à pec-
 testatis illius judicialis & prætorix, quæ soli Deo competit, Esaj. catoribus
 XLIII. 25. Psal. XXXII. 5. Luc. V. 21. Atque hi etiam in peccatorum ipsis, tum
 notitiam veniunt tum per se, singulas gregis oves circumeundo, ea- ab aliis
 rumque maculas observando, & verbi Divini ad conscientias ap- peccatores
 plicati præconio, si fieri potest, curando; fin, iisdem pertinacibus æ- ad eosdem
 ternam damnationem obnuntiando: tum per ipsos peccatores liberè deferenti-
 peccata sua in gremium Pastoris deponentes, & afflictæ conscientix bus, factis
 fomenta, institutionem & consolationem ex Dei verbo ardentè fla- obinet.
 gitantes: tum denique per alios, non quidem clam & insidiosè à
 Pastore subornatos, sed liberè, solius charitatis instinctu, & salutis
 peccantium desiderio, delinquentes, in gravi periculo animæ con-
 stitutos ad Pastorem deferentes, non ut delinquentes indicio ejus-
 modi destruantur, vel famæ etiam & existimationis, siquidem pec-
 cata occulta fuerint, naufragium faciant, sed ut idoneis remediis ex
 Evangelio Christi petitis ad salutem ædificentur. Qua verò cum
 charitate deferentis, & prudentia ac cautione delationem suscipien-
 tis, ne temerè nimis credulus, suspicax peccatorum vulnera exul-

C

ceret

gi. Inprimis si constet, eos, qui infirmitatibus ejusmodi laborant, cum iisdem seridè luctari, easdem detestari, & quotidiana resipiscencia abstergere. Sunt etiam delicta quaedam leviora, non tam Divinis, quàm humanis legibus repugnantia, quæ rectius Potestati civili corrigenda relinquuntur. Correctio enim Ecclesiastica cum pars sit administrationis Regni Christi, ac proin spiritualem naturam habeat, perfectionem longè majorem, quàm quæ in civili societate obtinet, quærit. Si tamen adsit præfractus erga humanas leges, à Potestate Divinitus ordinata legitimè sancitas, animus, ille tum à Pastore seorsim, tum à tota Ecclesia meritò reprehenditur. Proprium verò & adæquatum Ecclesiasticæ censuræ objectum est scandalum ex peccato adversus nos, vel potius Deum & Ecclesiam commissio, manans. Scopus enim Ecclesiasticæ disciplinæ omnis est scandala tollere per correctionem ejus, qui peccando Deum, Ecclesiam & nos ipsos offendit, quò ita fideles inoffenso pede in cursu pietatis pergant, & alii, offendiculis impediens è medio sublatis, ad eandem viam alliciantur.

XXIV. Correptio illa peccatorum talium tum universis, tum inprimis Pastori Ecclesiæ, cujus est pro salute Ecclesiæ, omniumque fidelium, & gloria Dei excubare, injungitur. Ubi verò illa & solitaria, & socialis, ex Christi instituto suscepta, nihil proficit, delationem ad Ecclesiam Christus mandat, his verbis: *Dic Ecclesiæ.* Neque tamen delationem illam ad Ecclesiam semper correptio secretior solitaria & socialis præcedat oportet. Ordinariè quidem & communiter custodiendus hic ordo est; adeoque *semper* præceptum Christi obligat, sed non, quod ajunt, *ad semper*, & in quovis casu; sed tum demum, cum ordo ille correptionis citra periculum peccatoris, Ecclesiæ, Reipublicæ, & proximi offensi teneri potest. In scandalis ergo privatis admonitio privata semper præcedat oportet, quia fratris peccantis existimatio sine gravi necessitate loedi, vel animus ejus irritari, vel scandalum amplificari, vel calumniæ etiam & obrectationis suspicio temerè & frustra subiri non debet. Indoles enim *charitatis* & pietatis est, *tegere peccata* Prov. X. 12. XVII. 9. Alia ratio est, cum vel scandalum publicum atque grave est, & in omnium jam notitiam ac offensam incurrit; vel peccatum ejusmodi est, ut propter damnum ex eo ad Rempublicam, Ecclesiam & privatum etiam quemvis redundans, in mora delationis evidens periculum sit. *Eos qui peccant,* (ita ut peccata eorum, vel post præcedentem correptionem

ac tum demum, cum Ecclesiæ correptio contemnitur, & scandalum jam manifestum ac publicum evadit.

nem irritam publicari debeant, vel *οὐδὲν λα* manifesta sint per publicum & quotidianum peccandi exercitium) in conspectu omnium, reprehende, ut & reliqui timorem habeant, 1. Tim. V. 20. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, precedentia ad iudicium, ibid. v. 24. Ita S. Paulus Petrum, Gal. II. xi. Elymam Magum Act. XIII. 7. & Simon Petrus Simonem Magum Act. VIII. 20. 21. nullo instituto ejusmodi correptionis ordine judicaverunt. Et Christus immediatè Judæ proditionem, secretam licet adhuc, & sibi soli notam, ob compertum sibi animum ejusdem *ἀμεταμέλητον*, corripuit & damnavit, Joh. XIII. 21. &c. Quælibet enim medicina proportionem ad morbum, cui tollendo infervit, habere debet.

Jesuitarum, delationem immediatam delinquentium ad superiorem propugnantium, regula rejecta.

XXV. Impiè hic Jesuitæ, Sol-ipsi, se ipsos ab ordine illo à Christo instituto eximunt, per regulam suam Antichristianam, qua juri suo, quo ex instituto Christi gaudere debebant, renunciantes, se ipsos obligant ad delationem fratrum immediatam ad Superiorem, sine ulla correptione privata præcedente. Qua de re paulò fusiùs agit Arriaga in 22. q. 33. art. 8. disp. 46. §. 5. nec non Diana Panormitanus P. III. Tract. 2. Resol. 37. Hanc verò exemptionem irregularem à Valentia, Torres, Conink, Diana, aliis acriter defensam licet, aperte & fusè oppugnant, Lorca, Philiarcus, Lopez de Texeda, Academia Salmanticensis, ab eodem Diana citata, & paulò timidiùs Bannes, Basseus, qui hanc dubitandi rationem affert, quòd sit inconveniens; nec tamen eam solvit. Sed jugulum ei manifestè petiit tum Christus, immediatam quorumvis delationem ad Superiores prohibens Matth. XVIII. 15. &c. tum S. Paulus juxta Christi institutum Timotheo præcipiens: Contra Seniores *κατηγορέων* accusationem (delationem) ne suscipe, nisi ubi duo vel tres testes fuerint, 1. Tim. V. 19. Quomodo ergo Jesuitæ, *λεγομενον πρεσβύτερον* Seniores Societatis, socios suos Presbyteros immediatè deferre ad Superiores, vel Superiores delationem immediatam suscipere possunt?

Quo sensu S. Paulus 1. Tim. V. 19. accusacionem contra seniores nisi in ore duorum vel trium:

XXVI. Dignum porro observatu est, quòd cum & Lex Divina prohibeat suscipere *αὐτῶν ἡμῶν* famam incertam, seu delationem quamvis *ἀδελφον*, Exod. XXIII. 1. atque ad omne iudicium duos vel tres testes requirat, Num. XXXV. 30. Deut. XVII. 6. Num. XIX. 15. & Christus, juxta eandem Legem, interdixerit delationem quorumvis immediatam ad Ecclesiam, duobus vel tribus testibus destitutam, Matth. XVII. 16; S. Paulus tamen loco citato peculiariter Presbyterorum delationem suscipi, nisi ubi duo vel tres testes fuerint, vetat.

vetat. Cujus rei causa non ea est, quam Canonistæ afferunt, quia laici clericos oderunt. Nam nec de plebejis solis deferentibus Apostolus loquitur: nec Canonistæ ipsi admittunt, ut à plebejis Ecclesiastici deferantur: nec plebeji quosvis Ecclesiasticos oderunt, sed eos demum, qui se supra gregem efferentes, spurci, voluptuarii, otiosi, inutiles sunt, & non quæ Christi, sed quæ sua sunt, quærunt. Quorum infamia & odium publicum meritissimum testimonium contra ipsos omni exceptione majus est. Sicut etiam Tyri spiritualis (Hierarchiæ Romanæ) infamia erubescenda indicatur per querelam maris de ארץ מר ארץ מר arce maris (illis, qui se pro arce maris gerunt, seu pro Ecclesia illa, cui portæ inferorum prævalere nequeant) quòd non parituriverint, nec pepererint, nec enutriverint juvenes, nec extulerint virgines, Esaj. XXIII. 4. De quibus Deus loquitur: Contra Pastores illos iratus est furor meus, & hircos ipsos visitabo, Zach. X. 3. Neque etiam, quod alii interpretes afferunt, ad iudicium solum, non ad susceptionem delationis, testes duos Lex Divina & Christus: Paulus verò insuper etiam ad suscipiendam delationem. Presbyterorum duos vel tres testes requirit. Manifestè enim Christus correptionem per duos vel tres testes delationi etiam ad Ecclesiam faciendæ, & ab eadem suscipiendæ præmittit. Quid ergo? Hoc sibi vult S. Paulus, tum ipsos etiam presbyteros deferri & judicari æquè ac cæteros posse, secus quàm Papæ gnathones nugantur, eum à nemine deferri vel judicari posse: tum delationem eorum ad fidem faciendam ei, qui suscipere debet, præ cæteris niti debere testimonio duorum vel trium (non septuaginta non laicorum, quem numerum ad damnationem Episcopi insolenter Canonistæ exigunt) qui considerandi in primis & examinandi sint, an fide digni & idonei sint, idq; eam ob causam, quia Presbyterorum tanta, & tam probè circumvallata esse existimatio atque autoritas debet, ut non temerè adhibenda sit fides iis, qui famam eorum appetunt; atque insuper Sathanas iisdem præ cæteris insidiatur, & impii etiam homines reperiuntur ἀντιθέτητοι, correptionis impatientes, & in eos à quibus corripuntur, canum instar, insurgentes, ut confectis criminibus eorum correptionem obscurent, & corripientium fidem animùmque frangant. Corripiens derisorem sibi ipsi accipit ignominiam: & increpans impium accipit sibi maculam. Ne increpes igitur derisorem, ne odio te habeat: sed increpa sapientem, ut diligat te. Prov. IX. 7. 8.

XXVII. Sed & delatio peccatorum ad Ecclesiam instituenda

Ordo delationis de-

C 3

certo

*linguen-
tium ad
Ecclesiam
quis obser-
vari de-
beat?*

certo ordine progrediatur oportet, ne per saltum nimium delatio statim fiat ad omnes, qui in Ecclesia disciplinae praesunt. Si enim is, qui deferre debet, sit ipse Ecclesiae Pastor, mitius utique est, ut unicuique seniori primum peccator denuntietur: si vel senior, vel privatus quisvis alius est, prudentiae pariter & charitatis est, Pastori prius quam toti confessui eorum, qui Ecclesiae nomine disciplinam moderantur, delictum indicare. Neque obstant verba Christi: *Dic Ecclesiae.* Dicit enim aliquid potest vel immediate Ecclesiae illi particulari, cujus peccator membrum est; vel mediate, per Synedrium, & Synedrio ipsi mediate per Ministrum aut Seniore, qui Synedrii illius membrum est. Potest autem vel Minister vel Senior delicta, nondum publice nota, & privatim sibi hac vel alia ratione innotescentia tegere, & ad confessum ampliolem non deferre, si vera resipiscentia abrumpantur, in futurum non pendeant, & publico non obsint.

*Delatus ad
Ecclesiam,
si ejus cor-
reptioni re-
sisterit, pro
Ethnico &
Publicano
haberi de-
bet.*

XXVIII. Si ad Ecclesiam delatus peccator ferrea fronte ejusdem admonitioni & correptioni obsistat, frenum mordeat, & spes correctionis animam jam efflaverit, neque agnus lupo eripi ulla arte valeat, Christus peccatorem ejusmodi praefractum pro *Ethnico & Publicano*, h. e. pro homine enormiter scandaloso, impio, deplorato, & Dei abnegatore, habere jubet. Hic verò Ecclesiarum sententia & praxis non nihil variat, dum aliae quidem eos, quos ita pro Ethnicis & Publicanis habent, sic excommunicant, ut ab usu Coenae Dominicae, aliisque Ecclesiae privilegiis eosdem suspendant, vel, si ita contumaciae & flagitii ratio postulet, graviori obnuntiatione, ab omni communione, quae Sanctorum propria est, arceant: aliae verò, missa in primis solenni illa à S. Coenae usu remotione, quam *excommunicationem majorem* appellant (abstentionem simplicem, siquidem ordine fiat, non omnino improbant) eosdem ad Civilem Potestatem, siquidem illa consentiens Ecclesiae & Orthodoxa fuerit, coercendos, & poenis civilibus, ad poenitentiam usque salutarem, vel interitum corporis frangendos deferant. Quae quidem posterior sententia & praxis in Republica patria, à Viris Sanctissimis, Huldrico Zwinglio & Henrico Bullingero introducta, & ad nostra usque tempora producta, etiamnum ita viget, ut peccatore contumaciter Ecclesiam ipsam corripientem spernente, & pro *Ethnico & Publicano* declarato, Ecclesiastica disciplina tantum non respiret, & locus detur disciplinae civili, Christianis tamen legibus, non intra civilem duntaxat hone-

honestatem, sed evangelii etiam Christi πολιτείας consistentibus instructæ, per quam pestes & carcinomata ejusmodi carcere, vel exilio ab Ecclesia mulcentur, quinimo, si insanabile vulnus appareat, ne pars sincera trahatur, ense etiam recidantur. Quandiu tamen illa Sathanæ pabula, citra pœnitentiæ testificationem, in Ecclesia tolerantur, juxta eandem sententiam & praxin monentur fideles, ut non tantùm lugeant, sed etiam hominum illorum consortium cane pejus & angue vitent, cum operibus eorum infrugiferis commercium nullum habeant, ac ne ave quidem iis dicant, ut ita Salvatoris sententiæ, præcipientis; *Sit tibi velut Ethnicus & Publicanus*, ampliùs satisfiat, quin & ipsi contumaces & enormiter scandalosi, quandiu in peccato persistunt, abstinere ultro à Cœna Domini & Symbolis gratiæ severè jubentur (quæ excommunicationis, sed non violentiæ, species quædam est) non neglecta interim, ac ne suspensa quidem admonitione fraterna, cum ex Evangelio constet, nec de Ethnicorum, nec de Publicanorum salute desperandum esse. Ministerium enim Ecclesiasticum ædificium est, quod in perpetuo actu versatur, neque unquam apicem attingit.

XXIX. Hæc equidem de quæstione vexatissima hæc contendendi locus non est. Id solùm monemus, nec reliquarum Ecclesiarum sententiam & usum à nobis rejici, vel damnari; nec eam nobis animositatem hæctenus fuisse, ut famosam illam excommunicationem, quam *Majorem* vocant, cum violentia quadam conjunctam, in Ecclesiam nostram *θαρεῖ ἀλέως* introduceremus. inprimis cum nobis non liquidò appareat, illam à Christo & Apostolis, ut perpetuò, & in qualibet conditione temporum ac status publici Ecclesiæ necessariam, præceptam & commendatam esse; & vetus ac innocentior adhuc Ecclesia, quæ illam exercuit, necessitate quadam compulsæ, quia Magistratu planè discorde, & Christianis legibus invito, vitiosis contra legibus moribusque Rempublicam gubernante, usa est, hunc disciplinæ rigorem adhibuerit. Confessionis Helveticæ hæc de re sententiam adscribere lubet. *Cum, ita verba ejus Cap. XVII. sonant, omnino oporteat esse in Ecclesia disciplinam, & apud Veteres quondam usitata fuerit Excommunicatio, fuerintque judicia Ecclesiastica in populo Dei, in quibus per viros prudentes & pios exercebatur hæc disciplina; Ministrorum quoque fuerit ad edificationem disciplinam hanc moderari pro conditione temporum, status publici, ac necessitate. Ubi semper tenenda est regula, omnia fieri debere ad edificationem, decenter, honestè, sine tyrannide & seditione. Apostolus*

Excommunicatio, quam majorem vocant, necessitas discipulatur.

enim

similq

enim testatur, sibi à Deo traditam esse in Ecclesia potestatem ad edificationem. Nam ipsemet Dominus vetuit, lolium in agro Dominico eradicari, quando periculum sit, ut & triticum evellatur. Non ergo disciplinæ illam ἀποτομήν, quæ in vetustiori Ecclesia ad Excommunicationem majorem & diras usque processit, simpliciter improbat, sed pro conditione temporum, Status publici, & necessitate ita moderari jubet, ut edificationi, non destructioni inserviat. Cujusmodi moderationem pluribus etiam S. Augustinus lib. III. contra Epist. Parm. cap. 2. commendat, allato eodem argumento, quòd zizanium eradicari non debeat, quando periculum est, ut triticum evellatur.

*Ecclesia
patriæ, ean-
dem intro-
ducere ha-
bitus cun-
ctantis, ra-
tiones re-
censit.*

XXX. Sed habuerunt Ecclesiæ Helveticae suæ in revocanda disciplina severioris cunctationis & verecundiæ rationes haud pœnitendas, quas imprimis Benedictus Aretius, Bernensis Theologus eximius, *Probl. Loc. 112.* cumulavit, & quas ex eodem, aliisque etiam, velut per saturam exhibere hoc loco haud pigebit, ut agnoscant etiam exotici, illam, quam in disciplina nostra notant, infirmitatem & labesculam haud temerè & ἀλόγως tolerari. Viderunt ante omnia sanctæ recordationis Antecessores nostri, rem optimam pessimo abusu Pontificio invisam, & pœne execrabilem redditam esse. Bannus enim (ita vocari suevit) non aliud quàm arcanum Pontificiæ dominationis & conscientiarum carnificina fuit: & tam invisum jam nomen ejus esse cœpit, quàm est tyrannidis. Tum exigua, vel nulla spes iis affulsit, fore, ut rebus sic, uti erant, & etiamnum sunt, jacentibus obtineatur, atque obtenta retineatur. Non est autem prudentis, rem pœne ἀδύνατον conari, imprimis cum simpliciter necessaria non est. Ad excommunicationem enim Majorem requiruntur tum Pastores cordati, qui præter Deum metuant neminem, & parati sint pro salute Ecclesiæ vitam sanguinèque periclitari: tum populus, & in eodem imperantes æquè atque parentes, qui obedire & pati jugum isthoc velint, & valeant; Verbo, Ambrosii & Theodosii. Ubi verò illi sunt? Etsi qui sunt, quàm rari, ut nantes in gurgite vasto? Quàm facile apud eos, quibus res isthæc committitur, dominandi studium subrepat, ut odia privata, & affectus maligni vincant? Experientia enim testis est, per hanc viam Antichristum ad dominationis suæ arcem enixum esse. Et olim quidem Excommunicatio isthæc non in consistorio vel confessu paucorum, sed in Conventibus Ecclesiasticis, sub conscientia & suffragiis fidelium suscipi consuevit. Hodie quid fiet, ubi vulgus & plebs, in libera in-
primis

primis Republica, dissolutior, & major saltem pars corruptissima est? Peccatori patrociniabitur, palliabit vitia, quæ in sinu suo similia reperit; denique bonam partem suffragiis vincet. Quid porro fieret majori parti, si *χωρίς προσελίσεως*, & procul omni studio partium, & corvorum jure, atque columbarum injuria, ebrii, lascivi, avari, tyranni, blasphemæ, injusti, Magistratus subditis iniqui, & subditi dominantibus obliqui atque immorigeri, hanc aleam subire juberentur? Accedit periculum schismatis, cujus metu tum S. Cyprianus Coëpiscopos suos malos toleravit: tum Irenæus Victorem Episcopum Romanum admonuit, temperaret sibi ab Excommunicatione Orientalium: tum S. Augustinus, diu cum Donatistis, Manichæis, aliisque conflictatus, & in hoc prælio miles veteranus, loco citato, alibi que, Zizania tolerari maluit. Ad Christum & Apostolos ubi deflexerit cogitatio, unicum exemplum occurrit incestuosi, in peccato singulari, enormi, publico, cum judicem Christianum nullum haberet, Sathanæ traditi, ad interitum carnis. quæ actio potestatis, an charitatis; miraculosa, an communis, imitabilis & omni tempore conveniens fuerit, nondum convenit. Alios certè, qui & ipsi in Corinthiorum Ecclesia alibi que gravissimè peccarunt, excommunicatos & Sathanæ traditos reperire non est. Jam & metum ciebant exempla aliarum Ecclesiarum, quibus assumptus ille rigor minùs auspiciatò cessit. Basileæ Oecolampadius, dissuadente Zuinglio, Schedis ad Templi fores affixis, excommunicare quosdam cœpit. Cœterum adeò durabilis non fuit illa consuetudo, ut, quod Zuinglius prædixerat, idem Oecolampadius à cœpto desistere, non sine existimationis suæ jactura, necesse habuerit. Argentinæ Bucerus & Capito, Viri pii & docti, dicentes ad Dominum: *Vis ibimus, & colligemus Zizania?* (Matth. XIII. 28.) nullo cum successu laborarunt. Idem Constantiæ acciderat, Blaurotero Consule, & fratre Ambrosio eventum sinistrum augurantibus. Denique carentibus illo rigore Ecclesiis nostris non desunt tamen *ἀντιβαλλόμενα*, uti Medici vocare solent. Nam & Ministri Ecclesiæ non tantum quotidie illam excommunicationis formulam: *Qui talia committunt, non habent partem in Regno Cælorum;* graviter intonant: Sed etiam ante Cœnam præfractos & *ἀμεταμελήτες* peccatores se verè objurgant, & iisdem auctores, publica etiam obnuntiatione, sunt, ne impœnitentes & imparati manum ad sacra Symbola mittant, mittentibus judicium grave minitantur, & consistoria ac fora tum merè Ecclesiastica, tum mix-

fungatur. Neque enim vel dignitas muneris, vel ædificationis Ecclesie ratio fert, ut Ecclesie Pastores, qui Dei & Ecclesie, seu Regni Christi ad salutem animarum, non Magistratus, seu Regni hujus mundi, ad executionem legum civilium, vel moralium, atque temporalium poenarum inflictionem ministri sunt, delatorum; exceptis nonnullis casibus, partes obeant. *Homines suadeo, an Deum? An quero hominibus placere? Si enim hominibus placerem, Christi servus non essem,* Gal. I. 10. Ὑπὲρ Χριστοῦ παροξύνομεν. *Pro Christo legationis munere fungimur,* &c. 2. Cor. V. 20.

XXXII. Ad Forum Politicum pergimus. In eo delatio non tantum admittitur, vel suscipitur, sed certis etiam atque fidei hominibus, velut munus quoddam muneri judiciali & censorio cuivis inferviens, jurato etiam imponitur. *Interest enim Reipublice, ut Jurisconsulti dicunt, ne scelera impunita maneant.* Interest etiam pacis publicae & charitatis, ne quis alteri injuriam faciat, sed ut suum cuique tribuatur. Ut ergo & suum cuique maneat, Deo, quod Dei est, Cæsari, quod Cæsaris est, proximo cuivis, quod proximi est: utque scelera vel delicta contra leges publicas, humanæ societatis nervum, commissa puniri, publicæ securitatis & exempli causa possint, necesse est, ut delicta ad notitiam judicis perveniant. Neque pervenire semper sine opera delatorum possunt. Habet ergo Civilis Potestas, qui ex officio nocentes deferre tenentur, quoties publici boni ratio id postulat. Tales sunt Procuratores fisci, alique officiales similes, apud nos in Urbe quidem fori Censorii & Matrimonialis Assessores singuli; in agro Præfecti, Subpræfecti, matrimoniorum custodes, & jurati alii, quibus munus isthoc propter utilitatem publicam legitimè imponitur.

XXXIII. Neque hi duntaxat, sed quilibet cives & privati, nulla speciali vocatione ad id obstricti, neque ad id requisiti, sola charitate proximi, Reipublice cumprimis, impellente, deferre apud Magistratum quaedam crimina tenentur. illa puta, quæ vel immediate sive Dei Majestatem & gloriam lædunt, cujusmodi blasphemie crimen est; sive humanam societatem infestant, velut crimen perduellionis, conspiracyonis, peculatus, &c. vel mediate in publicam perniciem tendunt, cujusmodi sunt crimina quaedam atrociora, humanam societatem consequenter vastantia, veluti latrocinia quævis, incestus, adulteria, aliæque αὐτὸς καὶ ἑαυτοῦ crimina: vel denique ejusmodi sunt, ut eorum revelatio & delatio ad delinquentium emendationem pro-

In foro Politico delatoris officium nemo occupare debet, sed delatio, cetero speciale quoddam munus, singularibus quibusdam personis committi debet.

Universi nihilominus cives, & privati, sola charitate proximi, Reipublice impellente, delicta quaedam immediate ad-

versus Ma-
gestatem
Dei, & so-
cietatem
humanam
admissa, vel
mediate in
perniciem
publicam
tendenia,
deferre te-
nentur.

Extra hos
casus deli-
cta occulta
aliorum
privati de-
ferre non
tenentur.

De officio
Pastorum
circa dela-
tionem de-
linquen-
tium ad
Magistra-

curandam, vel continuationem etiam delicti impediendam, omitti non possit. Neque tamen prius instituenda à quovis cive, & privato delatio est, quàm conspicuum est, detrimentum ex talibus delictis in societatem publicam, & peccatorem ipsum redundans, alia via, commodiore & molliore averruncari non posse. Quæ ubi nulla apparet, justitia & lex charitatis, qua civitati & fratri ac proximo cuivis devincti sumus, nos obligat, ut ad mala ejusmodi non conniveamus, sed omnem potiùs operam studiùmque eò convertamus, ut delicta ejusmodi, quorum ab aliis patratorum probè conscii sumus, ad notitiam eorum, qui mederi ex officio debent, provehantur. Major enim ratio habenda justitiæ & charitatis boni communis, ac innocentis cujusvis est, quàm famæ hominis criminosi, quæ ipsa tamen merè per accidens & ex propria delinquentis culpa læditur.

XXXIV. Extra hos casus delicta aliorum occulta, nulla præcedente infamia vel suspitione, temerè à quovis propalari & indicari, in primis si privata & fraterna correctione delinquens emendari possit, vel spes sit, etiam sine ea sponte emendatum iri; non debent. Ille enim, cujus delictum adhuc occultum est, si de cætero infamia nulla laboret, habet adhuc jus ad famam suam hætenus conservandam, ne temerè manifestum fiat. Neque etiam judicis est, occulta quævis scrutari, quia is, ut publica persona, ex publica aliqua notitia, suspitione, vel infamia procedere debet. In primis nemo bonus inquisitoris, delatoris aut denuntiatoris, & quasi prætoris atque apparitoris universalis munus sibi ultro arrogare; nec ipso facto quodvis cujusvis delictum Ecclesiæ, nedum Magistratui aut judici- bus denunciare debet, ne quadruplatoris, proditoris, sycophantæ *παρεισιτία* crimen incurrat. Contra talem enim etiam Solomonis illud: *הולך רכ"ל מגלה סוד* *Obtrektor revelat arcanum*, Prov. XI. 13. stringit. Probi autem hominis character ibidem statuitur: *Qui fidelis est animo, tegit rem*. Quò referendum encomium Josephi, tanquam justii, eò quòd Deiparam, quam prægnantem sciverat, *καθ' ἑδὲ γυναικὸς* ostentui facere, & palam deferre reformidaverit, Matth. I. 19.

XXXV. Sed de Pastore Ecclesiæ dubitatio incidit, an & ille ad Magistratum civilem delicta & crimina quævis deferre teneatur? Qua de re non omnes idem sentiunt. Sunt enim; qui id nefas esse abirentur, quia Pastoris Ecclesiæ & Potestatis Civilis munera prorsus distincta sunt, adeòque Pastor Dei, Christi & Ecclesiæ, non hominum, non Magistratus Civilis minister est. Constat autem delatoris

in

in Republica munus merè civile esse. cuiusmodi munera in Personam
Pastoris, Regno Christi amplificando, non seculari potestati exor-
nandæ additi devotique non cadunt. Alii contrà Pastorem Eccle-
siæ, utpote Magistratus subditum, ad delationem eorum, quæ contra
leges publicè promulgatas committuntur, obligari posse, æquè ac
officiales quosvis alios censent. & parum abest, quin, seposita omni
veneratione sacri ordinis, ad apparitorum & lictorum subsellia eun-
dem relegent. Nos μέσσην τέμνειν hac etiam in re potius ducentes, neu-
tri sententiæ, utpote in extremi vitium impingenti utrique, calcu-
lum addimus, adeoque mediam potiùs, nec à munere Pastoris Eccle-
siæ alienam, & communi subditorum omnium officio congruen-
tem amplectimur.

sum, sen-
tentiarem
divortia.

XXXVI. Duplex ante omnia via est, per quam delicta at-
que crimina in Pastoris notitiam venire possunt; alia communis,
per revelationem aliorum, vel notitiam propriam: alia singularis,
per confessionem vel revelationem privatam ipsius delinquentis,
qui peccati commissi conscientia anxius institutionem & consola-
tionem quærit. Quod ad peccata, quæ communi via ad notitiam
Pastoris veniunt, δικέϊον & proprium Pastoris, quæ talis, munus est,
non illa ad Magistratum, civili pœnâ coërcenda, deferre, sed suo po-
tiùs foro Divino Ministeriali, vel Ecclesiastico, prout ratio delicti
fert, subicere. Est enim Minister reconciliationis cum Deo, atque
in id potissimùm incumbere debet, ut peccator in peccati sui agni-
tionem & detestationem perducatur, & ad eisdem per fidem veram in
Christum, atque pœnitentiam salutarem, gratuitam condonatio-
nem, conscientia tranquillitatem, & Divina gratia sensum pertin-
gere valeat. Quo officio proprio neglecto, qui ad delationem & se-
culi brachium præcipitat, nã is, non Pastor est, sed prævaricator &
proditor, ovem suam lupo mactat, & securus atque otiosus inte-
ritum eisdem quo ad animam & corpus intuetur. qua equidem im-
pietate nulla alia major esse potest. Estque haud postremum Satha-
næ, qui, ceu indefessus insidiator, & veterator maximus, dolos suos
astu colit, stratagema, quo is Ecclesiæ Pastoribus, ut cum ovium sibi
commissarum præsentissimo exitio licet, tempus suum in otio, ὠκερ-
υλα & carnali securitate consumere & comburere valeant, persua-
det, bellè eos officio suo defunctos esse, dummodo oves suas seculari
brachio immolent, & civilibus pœnis, quæ non tam ad salutarem
cordis compunctionem, quàm loculorum subinde emunctionem va-

Pastor
munus præ-
cipuum ex-
plicatur,
quo relicto
ad bra-
chium secu-
li neuti-
quam præ-
cipitare de-
bet.

lent, objiciant. Sic enim tum peccator ipse in peccato suo manet, neque ad regenerationem salutarem ullatenus promovetur: tum Pastor & ovi suæ terribilis atque invisus evadit, & ipse tandem, neglectæ salutis ovium suarum damnas, esurienti Sathanæ in victimam optimam cedit.

*Ecclesiastici
& Politici
muneris
partes pla-
nè dispa-
ræ sunt.*

XXXVII. Illud verò animo nostro altè infixum sit oportet, disparatas planè Ecclesiastici & Politici muneris partes esse. Magistratus enim cùm circa externam in Ecclesia disciplinam versetur, politicum eatenus & externum officium exercet, ut justus & legitimus ordo in humana societate instituatür & conservetur, Ministerium contra circa conscientias potissimùm, & illa, quæ ad animarum & conscientiarum sanctificationem requiruntur, versatur, adeoque Legis & Evangelii præconio & applicatione ad conscientias hominem totum æternùm salvare nititur. Cùm ergo in sanctis, dum peregrinantur à Domino, duplex homo sit, exterior & interior, politica administratio circa exteriorem, Ecclesiastica circa interiorem potissimùm occupata est. Tum leges, quarum custos & exactor Ecclesiæ Pastor est, Dei & Christi leges sunt, sublimes in primis & spirituales. Magistratus verò leges ab hominibus sancitæ, societati externæ in officio continendæ provident. Aliæ certè Christi, aliæ Cæsaris leges sunt: aliter Paulus, aliter Papinianus loquitur: ac longè plura in Cœlestis, quàm in terrenæ civitatis cive requiruntur. Sed & præmia legum observantibus, atque pœnæ immorigeris, decretæ plurimùm discrepant. Pastor Ecclesiæ pœnitentibus, & in viis Dei ambulantibus interna, spiritualia, & æterna bona promittit, tanquam spiritus & reconciliationis Minister; incredulis verò & impœnitentibus per fulmineos terrores & comminationes legis, gravissimè imminet, & spiritus gladium adversus eosdem strenuè vibrat. Magistratus contra obedientiam & fidelitatem muneribus, dignitatibus, locupletationibus, aliisque corporalibus præmiis remuneratur, & in contumaces atque immorigeros corporali gladio animadvertit, ultor ad malum ei, qui malum patraverit: ac ne pœnitentibus quidem parcat, vel indulget, sed pro delicti ratione pœnam ἀπορατήτως exigit, ut universus populus audiat & timeat, nec addat facere aliquid simile rei pessimæ, Num. XXXV. 31. Deut. XIII. 8. II. XIX. 13. In disciplinæ quoque praxi & exercitio eatenus differunt, quòd Pastor Ecclesiæ externa obedientia & gubernatione locomotivæ, quam Magistratus urget, nequiquam contentus, conscientias homi-

hominum, regenerationi, veræ pietatis exercitiis, & internis cordis motibus infistit, omnium primò & potissimum, quòd intra poculum & patinam est, purgari per Dei gratiam curat; lapsos quoscunque haud temerè differt, traducit, Magistratui, ut facultatum, existimationis aut vitæ jacturam faciant, prodit, sed, quantum fieri potest, ac debet, delicta illorum occultat, lapsorum resipiscentiæ per continuas admonitiones, correptiones, consolationes, quanto potest studio intentus, & ejusdem peccati manifestos in gratiam recipit: atque hoc ferè modo Ministerii sui partes implet. Magistratus contra, si quid scelerum in subditis subodoretur, sine præviis præmonitionibus reum *χωρὶς ὀκτημῶν* adoritur, neque resipiscentiæ lapsorum rationem ullam habet, scelera propalat, leges suas quocunque vult, rigore exercet. Ita quem resipiscentem latronem in gratiam suam Christus in cruce recepit, justè tamen judex Politicus crucifigere perrexit, Luc. XXIII. 40. Quin & cessante politico judicio, non ilico Ecclesiasticum cessat, si qui pœnas dedit, resipuisse nondum videatur. Præterea qui in civilibus, & sacrorum externo ordine Ecclesiæ præest, & dominatur Magistratus, idem in spiritualibus verbo, quod Pastor Ecclesiæ in ore fert, & ex revelatione Divina profert, in conscientia subjicitur. Neque enim Ministerium Ecclesiasticum Magistratui civili ita subalternum & *ὑποδύον* est, ut in officii sui administratione ab hoc pendeat, aut ab eo vim & auctoritatem sui muneris habeat, quæ à solo Christo, cui omnis in Cælo & terra potestas data est, dependet. Est sanè Magistratus non tranquillitatis tantùm publicæ in rebus corporalibus, sed pietatis etiam in spiritualibus in Ecclesia custos; sed custos tantùm, non dominus; qui præscriptas habet hujus custodiæ metas, cancellos & limites. De quo alibi fusiùs.

XXXVIII. Hæc verò eùm ita sint, manifestum est, Pastorem Ecclesiæ ad eò eximium & proprium habere munus, ut civili administrationi implicari non possit, nec, quod imperiosi quidam Politici pertendere solent, eundem cum juratis, aut specialiter vocatis Magistratus ministris funem ducere debeat. Aliena proin ab ejusdem munere est delatio civilis, qua delicta quævis adversus publicas leges admissa ad judicem civilem, ex imposito peculiari officio deferuntur, utpote quæ executioni legum civilium directè inservit. Et perinde est in hoc foro delatoris partes ex speciali vocatione obire, ac fisci procuracionem suscipere, Præfecti, Subpræfecti, aliorumque ejusmo-

*Ecclesiæ
Pastor speciale delatoris munus suscipere non potest.*

ejusmodi officialium munere defungi. Quod equidem tam alienum
 esse à Ministro Ecclesiæ debet, quàm alienum à suo munere esse ju-
 dicavit Christus, Dominus ipse, qui mulierem in adulterio depre-
 hensam non tantùm non judicavit, sed ne detulit quidem, satis ha-
 bens, his verbis suadere pœnitentiam: *Vade, & amplius non pecca.* Joh.
 VIII. II. Sed & Ecclesiæ & fidelium ædificationi, atque salutem plu-
 rimùm oberit, si Ecclesiæ Pastor huic officio se patiatur obstringi,
 tum quia ignavi Pastores, neglectis muneris proprii partibus præ-
 cipuis, delatione ad alios facta, molestiam homines per spiritualia
 remedia corrigendi, & regenerationem salutaribus remediis promo-
 vendi, facillè deponent, omnemque curam in seculare brachium, cu-
 jus pœnæ quamvis atroces parùm ad conversionem salutarem va-
 lent, devolvent: tum quia Pastores optimi etiam, si deferendi offi-
 cium in se susceperint, omnibus suis plerisque adeo exosos & contem-
 ptibiles se reddere poterunt, ut spiritualis animarum negotiatio præ-
 sens detrimentum patiatur: tum quia Pastoribus mercenariis isthoc
 munere ad turpem quæstum, & commodorum atque incommodo-
 rum suorum supputationes abuti, proclive erit. Ne dicam, hac e-
 tiam ratione fieri posse, ut politicorum delatorum, à Magistratu in-
 stitutorum, in munere eo obeundo fides & industria vehementer
 languescat, dum à ministris illis meticulosis, negligentibus vel per-
 fidis in Pastoris humeros totum isthoc negotium devolvitur; tan-
 demque stertentibus, dormitantibus, & alia omnia agentibus illis,
 quorum hæ præcipuæ & propriæ partes erant, universalis morum
 corruptio Ecclesiæ Pastoribus solis, non sine eorundem infamia, Ec-
 clesiæ ludibrio & nequitia vel prævaricationis Ministrorum Poli-
 ticorum, qui amant *ἡμετέρας ἐξουσίας*, & subinde etiam Pastoribus po-
 puli invidiam & odium concire, fraudulenta occultatione, impu-
 tetur. Denique nihil propius est, quàm ut munus isthoc deferendi
 diversi adeo generis hominibus impositum in universum negligat-
 tur, atque civilis disciplina frigescat planè, & tantùm non intermo-
 riatur. Dum enim certamen hoc inter diversi ordinis homines
 gliscit, neutri officio suo bona fide defunguntur, & neglecti officii
 culpam alii aliis impingunt, non sine disciplinæ publicæ certissima
 clade. Experientia enim omni testatum habemus, periclitari &
 dispergi gregem, cum plurium, nedum diversorum custodum cu-
 rã regitur.

Non obstant:

XXXIX. Neque obstat, quòd leges quædam publicæ, in exe-
 cutione

cutione earundem promovenda, Pastores Ecclesiae cum civilibus Ministris & delatoribus conjungunt. Id enim, ne cum iis, quae hactenus diximus, pugnet & confusionem apertam munerum inducat, cum grano salis accipi debet, ut sensus sit, in *ἀγορῶν* seu executione legum civilium suas etiam partes Ecclesiae Pastores habere, ut & publice & privatim populo obedientiam erga Magistratum & leges ejusdem, quatenus pietati & honestati non repugnant, serio atque assidue commendent; & praefratos atque immorigeros, qui obdurata in impudentiam fronte peccant, Ecclesiae foro, & clavium sibi commissarum potestati subjiciant, quin & pro re nata, eo, quem supra indigeravimus, ordine ad Magistratum deferant. Qua in re plurimum delatorum Politicorum & Pastorum Ecclesiae delationes differunt. Illis enim ex officio, quod illis impositum est, singula delicta, in leges publicas quascunque arietantia, manifesta & occulta, immediate & sine admonitione praevia ad Magistratum deferre incumbit: hi nec manifesta ex officio speciali sine praemonitione immediate, nec occulta, quorum etiam extra confessionem conscientiam habent, quaevis, in primis si de resipiscentia seria peccatoris constet, Ecclesiae, nedum Magistratui denuntiare tenentur, usque dum peccator obstinatione sua ansam dederit propalandi, & ordine justo ad Magistratus conscientiam perducendi, quae hactenus occultata in Pastoris *Divino Ministeriali, & Ecclesiastico* foro & sinu delituerant.

XL. Atque haec causa est, quod Ampl. Magistratus nostri leges publicae, die 25. Junii A. MDCXXXVI. rogatae, & typis publicis exscriptae, Pastoribus quidem Ecclesiae aequae ac aliis officialibus injungunt, ut in crimine adulterii & scortationis fidei & diligenti observatione defungantur (*ihre getreu fleißigs aufsehen habind*) ut quotquot criminum illorum manifesti sunt, locis convenientibus deferantur (*an gebührenden orten gemeldet und geleidet werdind*) cum locus Pastoris delationi conveniens sit Consistorium, seu Confessus Ecclesiae, ex quo ulterior delatio pro re nata per Magistratus officiales institui debet: sub finem tamen delationum promiscuum, & ex officio non nisi Politicis, (*ein jeder under uns bey seinen Regiments-pflichten*) & specialiter in Urbe octo Ephoris, qui foro censorio praesunt, in agro Praefectis, Subpraefectis & reliquis officialibus (*Nachgesetzten*) injungunt. Neque etiam aliter interpretari fas est ea, quae Epitome & declaratio Magni, uti vocatur, Mandati, die 17.

E

Nov.

*se legum
quarun-
dam publi-
carum du-
bio tenore;*

*qui ex a-
liis publicis
patria no-
stra legi-
bus decla-
ratur.*

Nov. A. MDCLXXX. conclusa, & typis vulgata, sub finem, de Ministrorum Ecclesiae debita delatione (verpflichteter leistung) habet. Debita enim Pastorum Ecclesiae delatio ea demum intelligitur, quae muneri eorum Ecclesiastico convenit; quam ab ea, quae officialibus Magistratus convenit, haud parum discrepare, liquidò constat.

Nihilominus Ecclesiae Pastores delatione quadam ad Magistratum fungi tenentur, tum generali in Synodis, tum speciali & mediata in Ecclesia seu Consistoriis, tum communi eadem, seu mediata, seu immediata, ad quam singuli cives seu privati obligantur.

XLI. Tametsi verò speciale & proprium munus delationis delinquentium ad forum politicum, Pastorum Ecclesiae humeris malè sedet; non ideo tamen iis assentimur, qui quadam ἀμετρία τῆς ἀνδολεχῆς peccantes, nullam omnino delationem Pastoribus Ecclesiae convenire pertendunt. Etenim primò Pastorum Ecclesiae est tum in Synodis, tum extra eas, quoties necessitas & usus postulat, generales saltem delationes & querimonias ad Magistratum instituere de peccatis & scandalis publicè in populo grassantibus, tum ut eum ad officium resistendi peccatis atque scandalis, & leges suas severiùs exercendi, vel earum rigorem, crescentibus delictis, intendendi, excitent: tum ut in certis casibus ejusdem consilio & auxilio utantur. Sunt nempe duae hae administrationes, Politica & Ecclesiastica, distinctae licet, quodammodo tamen etiam ἀντιστοιχοί, & variis modis circa eadem objecta versantes, auxiliares sibi manus porrigunt, consiliorumque adeò & operarum conjunctionem postulant. Hinc Deus Mosen & Aharonem, & post hunc, Eleazarum filium conjunxit, vel conjunctim cum iis, in rebus Ecclesiam & Politicam spectantibus, locutus est, Exod. XII. 1. Levit. IX. 1. XI. 1. XIII. 1. XV. 1. Num. II. 1. IV. 1. XIX. 1. XX. 23. XXVI. 1. Atque hi etiam sua conjunctim saepe tractarunt, mutuasque sibi operas praestiterunt & tradiderunt, uti ex Exod. V. 1. Num. I. 17. XIV. 5. Num. XXVII. 2. XXXII. 2. aliisque locis liquet. Secundò Ecclesiae Pastorem haud omnino dedecet delatio delinquentium mediata illa, quam juxta disciplinae apud nos receptae praxin, post adhibitos ejusdem gradus, Ecclesiam apud Magistratum instituere, supra § XXXI. diximus. Delationem verò Pastoris *mediatam* dixi, quia non ipse Pastor, sed juratus quispiam nomine Pastoris & Consistorii eadem defungi tenetur, juxta tenorem etiam legis nostrae Consistorialis decimae septimae, qua officium illud delinquentes nomine Consistorii Ecclesiastici disertè *subpraefectis, Pratoribus & Juratis* (den Undervögten / Weibel und Geschwornen) mandat. Tertio Pastores Ecclesiae ad eam etiam delationem sive *mediatam*, sive, si necessitas exigat, *immediatam* obligantur, ad quam quoslibet cives & privatos, nulla speciali vo-

catione

catione ad id obstrictos, obligari, § XXXVII. diximus. Neque enim profundo silentio premere potest *חֲבֵלֵי תוֹנִי* *pravitates judiciales* (Job. XXXI. II. 28.) hoc est, delicta quædam, quæ vel patrata jam, vel patranda noscuntur, & quæ juxta leges non humanas duntaxat, sed Divinas etiam severe propter publicam utilitatem vindicari patrata, & patranda impediri debent, cujusmodi sunt illa, quæ vel immediatè sive Dei Majestatem & gloriam lædunt, sive humanam Majestatem & Societatem vastant, vel mediatè in publicam perniciem tendunt, vel graviter innocentem quemvis lædunt. Communia enim charitatis erga Rempublicam, Ecclesiam, proximum quemvis officia æquè Pastorem Ecclesiæ, ac quemvis civem & privatum obligant; si non magis, cum in omnibus typus gregis esse debeat. Quæcunque ergo non delata publicum exitium post se trahunt, vel propter singularem atrocitatem criminis in Dei gloriam & Societatis humanæ detrimentum incurrunt; cujusmodi sunt blasphemias horrendæ, crimina atrociora, à quibus natura ipsa abhorret; perduellionis, prodicionis, conspirationis adversus Magistratum legitimum nefas, patrata vel patranda cædes proximi, aliæque ejusmodi, quæ & quatenus ad judicem deferri puniendæ vel impediendæ gloriæ Dei, Reipublicæ, & ipsius delinquentis interest, eorum denuntiatio à Pastore æquè ac quovis alio salva conscientia omitti non potest, & omissa ignis instar est, qui in sinum assumi, & in eodem retineri illæsis vestimentis nequit, Prov. VI. 27. Quod ipsum etiam leges nostræ Patriæ adversus Pensionarios, uti vocantur, Reipublicæ pestes, sancitæ his verbis sciunt: *So aber jemand der sachen (daß jemand pensionen nähme) allein wissen hätte/und das einem Burgermeister/bym eyd/ wie er zuthun schuldig/nit läidete/und fürbrächte / der sol seiner ehren entsetzt / &c.* hoc est, *si quis (nullo ordinis & status discrimine) solus conscius fuerit (hunc vel illum pensiones admisisse) atque id ad Consulem sub juramento, quo ei tenetur, non detulerit, dignitate sua omni abdicabitur, & centum florenorum mulctam dabit.* Sicutamen crimina ejusmodi Pastor judici denuntiabit, ut ipse interim conversionis criminosi curam neutiquam abdicet, sed primore velut loco, ceu sibi eximiam, occupet.

XLII. Quantum verò ad delicta occulta, graviora etiam, sive jam patrata, sive patranda, quæ soli Pastori, vel paucis, non ex ipso reo, sed aliunde cognita Dei gloriam & Rempublicam enormiter non lædunt, ad illa deferenda & temerè propalanda Pastor Ecclesiæ non magis, quàm quivis privatus alius, obligatur. De quo §.

Delicta occulta graviora etiam, Pastorem occultare tenent.

XXXIV. dicta huc revocanda sunt. Propalatio occultorum scandalum parit. Illud verò, ceu Ecclesiae noxium, vitari, quantum fieri potest, debet, adhibitis gradibus, quos Christus ipse Matth. XVIII. 15. &c. praescripsit. Eodem faciunt argumenta, quibus delationis officium à Pastore supra removimus.

Consentien-
bus consti-
tutionibus
Ecclesiasti-
cis Bran-
denburgi-
cis; & civi-
libus pa-
triiis.

XLIII. Providè igitur Sereniss. Electoris Brandenburgici Friderici Wilhelmi, Seculi nostri Herculis, Constitutiones Ecclesiasticae Marcanæ & Clivenses, sic § 136. sanciant: Die jenige betreffend/welche in Lehr oder Leben irren / und unrichtig wandlen / deren sünde und fehler doch noch zur zeit verborgen wären/sollen die Prediger auch verborgen seyn lassen / ihnen aber ihre sünden vorhalten / und darvon abzustehen sie fleissig in aller stille vermahnen; hoc est, *Quantum ad illos, qui in doctrina vel vita errant, & inordinatè ambulant, quorum peccata tamen & errores occulti adhuc sunt, eorum (peccata & errores) Pastores Ecclesiae in occulto latere sinant, ita tamen, ut eadem peccata illis exprobrent, & eosdem, ut iis abstineant, diligenter magnòque cum silentio admoneant.* Cui Sanctioni conformis est Ampl. Magistratus nostri lex Consistorialis vicesima secunda, qua Pastori Ecclesiae potestas conceditur, peccatores sibi singulariter notos vel indicatos seorsim accersendi, & eosdem salutari admonitione corrigendi (durch die Oberkeitliche Stillstandsordnung sol einem Pfarrer nicht benommen seyn / die jenige/so ihm sonderbar bekannt sind / oder gemacht worden / sonderbar zuschicken / und mit heilsamem zusprechen zuverbesseren.) Estque hæc, nisi fallor Ecclesiarum Protestantium constans & perpetua praxis, adèd ut ne Gallicanæ quidem Ecclesiae, cum imperio heterodoxo & tyrannico adhuc obnoxiae fuissent, ad occulta ejusmodi, quatenus statum publicum non feriebant, referenda obstrictæ fuerint.

Obiectio,
quòd dela-
tione delin-
quentium
ad Magi-
stratum
non pravia
vel subse-
quente pec-
cata populi
& Magi-
stratus pu-
blice graf-

XLIV. Sed fortè Pastor Ecclesiae officii sui in corripiendis pro suggestu etiam peccatoribus & scandalis, tum à populo, tum à Magistratu ipso manantibus, palam pulsandis & corrigendis partes obire non poterit, nisi scandalorum illorum authores σημειῶν notare, & ad Magistratum etiam deferre velit & possit. Hoc scilicet illud est, quod à Pastoribus exigere quandoque audent illi, qui correptionis impatientes, ægrè ferunt, imò ringuntur, cum in publica scandala, perjuriam in primis, dorophagiam, nefarias artes, capitalem injuriam, aliàque ejusmodi palam & impunè grassantia, Ecclesiae Ministri pro suggestu detonant. Nos quidem probare non possumus Ministros illos δεγσδείλως, suæ & alienæ salutis prodigos, qui monitio-

nititionibus, correptionibus, & obtestationibus privatis & secretis, *santia pro*
per quas quorumvis hominum, adeoque potentum etiam conscien- *suggestu*
tia & saluti, imò publicæ etiam incolumitati haud parùm equi- *corripi non*
dem consuli potest, ob metum hominum, vel socordiam etiam su- *possint, di-*
pinam neglectis, ad *ἄπειρα* & Philippicas publicas coram toto *luitur.*
populo audacter profiliunt, & cum Chamo parentum etiam verenda
impie exponunt & prostituunt. Si tamen nil privatæ commone-
factiones & correptiones profecerint, & scandala insuper publica fue-
rint, atque ex peccantium etiam audacia & multitudine vires &
incrementa sumpserint, ut jam de salute Ecclesiæ & Reipublicæ
conclamari incipiat; illa pro suggestu produci, notari, populo
lugenda & detestanda proponi, nulla prævia, vel subsequente etiam
peccantium personarum ad Magistratum delatione, debere, nulli
profectò dubitamus. Aliud enim est accusatio civilis, quæ de sen-
tentia Ciceronis etiam, *crimen desiderat, rem, ut desinat, hominem, ut notet,*
argumento probet, teste confirmet: aliud Ecclesiastica correptio. Illa son-
tis pœnam & satisfactionem cum intendat atque postulet, à personæ
definitione abstinere non potest. Hæc quia peccatoris pudorem,
compunctionem & salutem, scandali publici reparationem, Reipu-
blicæ & Ecclesiæ incolumitatem unice quærit, atque in Ecclesiasti-
co insuper, non civili foro versatur, locum, non designatis, nedum ad
Magistratum delatis peccatoribus, habere potest. Nam & peccator,
de cujus correctione publica agitur, licet non notatus, vel delatus à
Pastore, peccati admissi sibi conscius, ad pœnitentiam sic adduci: &
Ecclesia, quæ si non personarum peccantium, at detrimenti publici,
quod ex peccatis ejusmodi patitur, conscientiam habet, lugere, ad
Deum suspirare, & à scandalo sanari, nec notato, nec delato pariter
peccatore, potest. Atque sic absque delatione etiam tali Ecclesiasti-
ca correptio finem suum assequitur. Præterea Ecclesiæ Pastores
ὄφειλον *speculatores* Ezech. III. 15. cluent. Atqui *speculatores* (ita simi-
litudinem istam quondam Ecclesiæ cujuspiam Helvetiæ *ἄγεσως*
gravissimus, mihiq; dum viveret, longè amicissimus, apud Ampl.
Magistratum suum ore & scripto sapientissimè pressit) *incendio oborto,*
signum ejusdem dant, conclamant, populum excitant: at incendiarii nomen edere,
vel eum deferre haud tenentur. Constat enim non illos, utpote in edita turri ex-
cubantes, nec incendiarium observare valentes; sed vigiliarum præfectos, & quot-
quot armati per compita urbis incedunt, & civium excubias agunt, requiri &
interrogari, num quid incendiarios & nebulones ejusmodi alios obvios habuerint?

Ad hoc enim munus conducti illi, officii sui partes neutiquam implebunt, si contra
tristem illum conspectum publicum desides incendium obortum inficiari, & igno-
rantiam perpetuam obtendere ausi fuerint. Ita planè speculatores spiri-
tuales mala gliscentia & grassantia ordine suo proclamare: at in eo-
rum authorem Magistratus per Ministros suos inquirere tenetur.

Deciditur
casus: An
Pastor Ec-
clesiæ pec-
cata sibi ab
afflictis o-
ribus suis
confessa &
revelata ad
iudicem de-
ferre te-
neatur?
Confessionis
privata
abusus,

XL V. Atque sic etiam via patefacta est ad decisionem ca-
sus: An Pastor Ecclesiæ peccata sibi ab afflictis, institutionis & consolationis per-
cipienda gratiâ, revelata, confessa & credita ad Magistratum deferre teneatur?
Nostris quidem Ecclesiis jam pridem abominationi fuit Confessio
auricularis Pontificia, ab Innocentio III. primò introducta, ut-
pote quæ conscientiarum carnificina atque μελέτη ἀναίσχυτης
exercitatio impudentia (1. Tim. III. 6.) est, & inter dominatio-
nis Papalis arcana & facerrima stratagemata meritò censetur. Ne-
que etiam usque quaque probamus sententiam Ecclesiarum qua-
rundam, quæ sublatis Confessionis secretæ abusibus nonnullis, ne-
cessitatem tamen ejusdem, velut Divinitus præceptæ, morosè ni-
mis urgent, & absolutionem ipsam quæstui habent. quod ipsum ta-
men aliis ejusdem communionis moderatioribus non omnino proba-
tur. Nam ex pietate quæstum facere cui non sordet? Ac necessita-
tem etiam privata confessionis non agnovit Lutherus ipse, qui, uti
Franzius Disput. I. super XI. Art. Aug. Conf. th. 156. loquitur, *equè ac fide-
lissimi ejusdem parastatæ & sectatores omnes, eam ut liberam retinuerunt, non
ut necessariam conscientis imposuerunt, neque singulos & universos ad usum il-
lius rigidissimè & strictissimè astrinxerunt. Non enim, uti etiam Sigwartus
lib. III. Contra Iren. Par. cap. 3. arguit, à Christo, nec ab Apostolis est mandata,
vel exemplo commendata, sed Ecclesiastico instituto ab Episcopis aliquando re-
cepta & dissimiliter observata. Ejus verò loco Ecclesiæ nostræ pro ea li-
bertate, quam in adiaphoris verbum Dei permisit, visitationes fa-
miliarum, & in iis infirmiorum inprimis, institutiones rudiorum,
examina eorum, qui primùm ad sacram Synaxin aspirant, substi-
tuerunt.*

Et usus le-
gitimus ex-
plicatur.

XL VI. Si tamen etiam privata confessio libera, nec pretio
addicta relinquatur, & conscientis importunè non obtrudatur;
illam Ecclesiæ nostræ non aspernantur. Ita enim Confessio Helve-
tica Cap. 14. declarat quidem, *Confessionem ingenuam, quæ soli Deo fit, vel
privatim inter Deum & peccatorem, vel palam in Templo, ubi generalis illa pec-
catorum Confessio recitatur, sufficere, nec necessarium esse ad remissionem pec-
catorum consequendam, ut quis peccata sua Sacerdoti confiteatur.* Nihilomi-
nus

nus

nus paulò post subjicit: Si quis verò peccatorum mole, & tentationibus per-
 petuis oppressus velit Consilium, institutionem & consolationem privatim vel
 à Ministro Ecclesie, aut alio aliquo fratre, in lege Dei docto, petere, non impro-
 bamus. Quæ tamen; uti scitè Ven. Bullingerus noster Decad. IV. Serm.
 I. & ante ipsum Zwinglius Explanat. art. 52. monent, non tam Con-
 fessio, quàm Consultatio est, ad quam nemo cogi potest. Articulus XI.
 Conventus Marpurgensis consentit: Confessionem seu petitionem Con-
 siliù à suo Pastore vel proximo liberam quidem, neque extortam esse debere, ad-
 modum tamen utilem esse afflictis conscientis, quæ tentationibus, aut peccato-
 rum mole, aut errorum laqueis gravantur, maximè verò propter absolutionem
 & consolationem Evangelii, quod vera absolutio est. Fusè etiam & facundè
 eandem rem Calvinus Instit. lib. III. 4-12. sic explicat. Ergo id officii sui
 unus quisque fidelium esse meminerit, si ita privatim angitur & afflicatur pec-
 catorum sensu, ut se explicare, nisi alieno adiutorio, nequeat, non negligere,
 quod illi à Domino offertur, remedium, nempe ut ad se sublevandum privata
 confessione apud suum Pastorem utatur, ac ad solatia sibi adhibenda privatam
 ejus operam imploret, cujus officium est, & publicè & privatim populum Deo
 Evangelica doctrina consolari. Verùm ea moderatione semper utendum est, ne,
 ubi Deus nihil certum præscribit, conscientia certo jugo alligentur. Hinc sequi-
 tur, ejusmodi Confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur,
 sed iis tantùm commendetur, qui ea se habere opus intelligent. Deinde, ne hi
 ipsi, qui ea utuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata vel præ-
 cepto aliquo cogantur, vel arte inducantur, sed quo ad interesse sua putabunt,
 ut solidum consolationis fructum referant.

XLVII. Duo verò casus sunt, in quibus fideles Pastorum Duo casus
 Ecclesie, qui ceu Patres spirituales, in Christo Jesu per Evangelium eos sunt, in
 gignunt, I. Cor. IV. 15. & *ὡδύροισι* parturiunt, donec Christus in iis formetur, quibus de-
 Gal. IV. 19. consilium & auxilium negligere non possunt. Prior est, linquens
 cum dubitatio incidit, an hoc vel illud peccatum sit, nec ne. Multa Pastori de-
 enim speciem virtutis & boni facti habent, quæ nisi ab oculatori- libra sua
 bus & perspicacioribus dignosci facile nequeunt. Vicissim etiam revelare
 non nulla observatu vel factu indifferentia & libera à simplicioribus et confiteri
 pro illicitis foedisque factu censerentur. Quia in fluctuatione om- tantùm nota
 nino consulendi sunt Ecclesie Pastores, quorum labia custodire debent tenetur.
 scientiam, & ex quorum ore lex requiri debet, quia sunt Legati Jehovæ Exerci-
 tuum. Mal II. 6. Posterior est, cum peccator conscientiam peccato e-
 normi & gravi sauciatam componere & tranquillare nullo modo po-
 tis ipse est. Tum enim ad sacram Pastoris Ecclesie anchoram con-
 fugere

fugere pium, consultum, imò necessarium est. Cum redargutus fuerit peccator in cubili suo, & in multitudine ossium ejus ingens dolor est, & fecerit ipsum anima ejus nauseare ad panem, & vita ejus ad cibum delicatum. Consumpta quin etiam anima ejus fuerit à visu, & confringentur ossa ejus non visa, atque adeò appropinquaverit anima ejus ad occidentes (Diabolum) Tum vero, si est apud ipsum מלאך מליץ אחד מני אלהי Angelus Advocatus unus inter mille (is Angelus fœderis, Christus est, princeps & præcipuus inter mille Angelos & intercessores, ac ministros etiam reconciliationis) ad indicandum homini rectitudinem ejus; & gratia illum complectatur ac dicat: Redime ipsum, ne descendat in foveam, inveni Lytrum, Revirescens augetur caro ejus præ pueritia, redit ad dies adolescentiæ suæ. Supplicat Deo, & gratum ipsum habet, & videt faciem ejus cum júbilo, & reddit homini justitiam suam, &c. Job. XXXIII. 19--27. Etenim si morbo corporis gravi & fontico laborantes nec judicio nostro, nec obvio cuivis medicaastro confidimus: & in causa difficili coram judice disceptaturi, optimi & pertissimi cujusque consilium avidè imploramus: quid non in periculoso animæ morbo tentandum nobis videbitur? Inprimis ubi diu cum conscientiae terroribus luctatis, & coram gratiæ Divinæ tribunali prostratis, ad tranquillitatem & pacati Numinis sensum difficulter vel planè non eniti & eluctari datur. Hic nuncii pacis, ministri reconciliationis, malo pudore omni posito, adiri, iisque incurata ulcera fidenter detegi debent, inprimis cum constet, non solum iis consolationum ex limpidis Israelis fontibus malagmata suppetere, sed potestatem etiam peccata remittendi, Joh. XX. 23. hoc est, remissionem peccatorum in Evangelio credentibus & resipiscen-
 tibus promissam, efficaciter, & jure commissæ legationis, longè potentiùs, quàm à quoquam alio clavium potestate destituto fieri possit, applicandi, competere. Si plus paterna benedictio, nulla licet speciali promissione Divina freta, quàm communis alia quævis operatur, potentior etiam longè erit, non tam precaria, quàm ex Divina promissione & speciali potestate profecta benedictio & absolutio Pastoris, quàm promiscua alterius cujusvis. Sicut ergo graviter peccant, qui sacrificulos, ceu idola quædam, cernui adorant, & dictis eorum perinde atque Divinis Oraculis assurgunt: ita haud levius peccant, qui conclamatis ferè rebus Pastorum consilia, dicta & auxilia spernunt, & ut olim Megarenses Oraculum, ἐν ἄδει ἀριθμῶν nullo numero, ceu vacuas cifras, habent.

Quædam

XLVIII. In tractandis porro peccatis occultis, gravissimis etiam

etiam & capitalibus, quæ conscientia pavidi delinquentes Pastori clanculum, & remotis arbitris omnibus, confitentur & committunt, hæc omnino Pastori eidem circumspectio adhibenda est, ne vel nulla, vel omnia prodenda & ad Magistratum deferenda putet. Si enim peccata confessa & credita ejusmodi sunt, ut non prodita vel delata in gloriæ Divinæ detrimentum notorium, & Reipublicæ, vel cuiusvis innocenti præsentissimam perniciem immediatè redundant, omne intempestivum, irreligiosum & impium silentium est. Neque de non deferendis ejusmodi delictis vel fides cuiquam obligari potest, vel obligata servari, sed potius conscio etiam confitente, rescindi debet. Major enim ratio habenda est unitatis, quàm unius: communitatis, quàm singulorum. Salus patriæ suprema lex est, & charitas erga Rempublicam antiquissima.

XLIX. Sed necessaria tamen hîc est delinquentis & delicti discretio. Si enim ita in perniciem publicam delictum tendit, ut, nisi detecto etiam delinquente, malum præsens vel futurum à Republica averruncari nequeat, delinquens confessor monendus est, ut Deo det gloriam, & judici, in primis si in crimen illud inquiret, ipsemet arcanum resignet, atque sic temporalis vitæ vel commodi jactura animæ suæ saluti consulat. Si monitis hisce vacivas aures substringere renuerit, à Pastore ordinaria via ad judicem deferri haud dubiè debet. Sin delictum ejusmodi est, ut ejus in Rempublicam perniciofa operatio vel transierit, atque infecta reddi nequeat, vel pendeat in præsens & futurum, ita tamen, ut non revelato delinquente damnum Reipublicæ inferendum alia ratione præcaveri, sufflaminari & penitus averti possit, delictum quidem ipsum omnino revelandum est; quoad delinquentem verò prudentiæ & charitatis Pastoris erit, eum vel deferre, si pœnitentiæ signa evidentia non appareant, & ab ejusmodi delinquente Reipublicæ in futurum etiam metuendum videatur: vel, ad explorandum delinquentem, delationem suspendere: vel omnino non deferre, si certa exemplaris pœnitentiæ indicia se exeruerint, nec quicquam amplius à delinquire metuendum sit. Ubi enim publicæ saluti satis provisum & consultum est, atque fratrem peccantem lucratus Pastor fuerit, silentium tutò præstari potest. Ita si peccans Pastori hæreticorum conventicula, veneni in puteum injectionem, ignis in domum vel civitatem immisionem, de prodenda civitate vel principe conspirationem, atque id genus alia confessus fuerit, cum periculo non careat si-

F

peccata sibi à delinquentibus clam prodita & revelata Pastor dissimulare, & ad judicem non deferre nequit.

ubi tamen delinquentis & delicti necessaria discretio est.

len-

lencium, res seu delictum ipsum deferri & detegi poterit, personam, quæ scelus id passa, & ingenti cum dolore ac pœnitentia detestata est, non delatâ, vel detectâ, dummodo non delatâ vel detectâ illâ, malum pendens à patria averti possit, nec de delinquente quicquam amplius metuendum videatur. Non mediocri tamen heic prudentia, quæ in rois uad' èxasa, & in singularibus circumstantiis occupatur, opus est, ne vel pietas erga patriam, Rempublicam, innocentésque alios, vel fides & charitas erga peccatorem pœnitentem jure desiderari possit. Et juvabit etiam heic non absolutum silentium confessuro stipulari, sed certa lege, si præstari illud sine gloriæ Dei & Reipublicæ detrimento posse putetur. Quòd si silentium præstari non poterit, cavendum nihilominus conscientis saluti etiam temporali est, quantum conscientia, & prudentiæ arbitrium permittit.

Jesuitarum confessionis sigillo quaeris, etiam Reipublicæ noxia criminosa obstinantium, impietas retunditur.

L. Ad eò detestamur Cleri Pontificii, Jesuitarum cum primis, insignitam perfidiam, cum Suarezio de Pœnit. disp. 33. §. 1. n. 2. disertè asserentium; *in nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro tota Republica ab ingenti malo temporali & spirituali tuenda, violari sigillum Confessionis posse.* Idem affirmat Emanuel Sà Jesuita, Aphorismis, verbo Confessor. Ubi ergo agitur non tantum de præcavendo proximi cujusvis periculo, sed etiam de ipsorum Regum & Principum vita, à conjurationibus sicariorum vindicanda, solenne illis est excipere notitiam, quam Sacerdos ex audita in Confessione auriculari conjuratione hausit. Cujus obtentu negant, se teneri vel monere Principem, caveat sibi à periculo, si metuendum sit, ne velit sciscitari causas, & exigere ea, quæ sub Confessionis sigillo sibi commissa sunt. Hoc fundamentum fuit martyrii nebulonum in Anglia, Garneti & complicum, qui pulverariam conspirationem adversus Regem & supremas Curias, in Confessione sibi revelatam, velut nondum executioni datam, sed demum exequendam, ad Regem deferri potuisse negarunt, atque propter omissam delationem justissimas pœnas dantes, martyrum laureolam sibi vendicarunt, latronum & parricidarum certissimi complices. Horrendam profectò doctrinam, quæ Confessionis auricularis Antichristianum inventum ejusmodi sigillo munit, ut cuilibet perduelli, sicario & parricidæ impunè conscientiam suam, etiam dum consilium petit, nec eum suscepti criminis pœnitet, aperire & exonerare liceat, cum tamen juxta Jesuitas eisdem Sacramentum Pœnitentiæ, cujus Confessionem partem faciunt, tantum in gratiam pœnitentis, quâ pœnitens est, & cujus semper vox esse debet,

-nol

4

bet,

bet, peccavi, poenitet, non peccabo amplius; institutum fuerit. Confessio enim praeterita tantum peccata detegit & deplorat, non futura profiteretur. Illa contriti animi, haec obstinati & impoenitentis index est. Sigillum autem Sacramenti ipso Sacramento latius esse, aut ultra Sacramenti rationem extendi non potest. Si igitur tale omnino sigillum esset, ut nunquam illud referare liceret; non obligaret tamen confessorem ad facinus futurum non revelandum, pro aliquorum temporali vel spirituali salute, maxime ubi ipsa confitentis anima tali silentio Sathanæ magis magisque mancipatur. Sed hoc de iniquitatis mysterio Doctissimus Casaubonus Epistola ad Frontonem Ducaem pluscula dixit, testatus inter alia, sibi à Jesuita Bineto dictum; *prestare omnes Reges occidi, quam vel semel Confessionis sigillum revelari.* Cui consentientia dixerunt alii. Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 18. q. 4. art. 5. *Licet, inquit, Sacerdos videat personam innocentissimam, dignitate & autoritate maximam, in supplicium capitis rapi, sitque certissimus personae Confessionem, illum esse innocentem, posseque eum facillime, detecta Confessione, liberare, neutiquam illi fas est.* Henricus Henriquez in summa de Poenit. lib. III. 16. 3. *Ob nullam causam confessio revelari possunt, quamvis esset totius orbis salus, aut ipsius poenitentis utilitas, nec pro vitando ullo damno gravissimo innocentis, aut quod esset totius Orbis conflagratio, aut perversio religionis, & omnium Sacramentorum intentata demolitio.* Sed & Casaubono Epist. ad Front. Ducaem, & respons. ad Perron. teste, Jesuita Gallus os suum in blasphemia hæc verba resolvit: *Si Dominus noster Jesus Christus in terra versaretur morti obnoxius, & aliquis sibi in Confessione dixisset, velle se illum occidere; priusquam Confessionem revelaret, passurum se, ut Christus occidatur.* Nequissimus sit oportet sacrificuli confessoris sinus, in quo parricidæ, Christicidæ, sicarii, proditores omnes tutum receptum habent: ipse verò Christus, Salvator noster, Religio universa, Respublica, Reges, Principes innocentissimi, quin & reliquus totus orbis praesidii & solatii nihil.

L I. Alia verò ratio est delictorum etiam gravissimorum, quæ in sinum Pastoris clanculum à peccatore, conscientiae stimulis compuncto, deposita in Reipublicæ & proximi innocentis damnum nullatenus vergunt. quæ deferre ad iudicem civilem, vel revelare aliis Pastor pius, & illibatae conscientiae nullo modo ausit. Meminisse enim eum oportet, quod in hoc negotio Legati Dei & Christi vicem sustineat. *Sicut Pater me misit, ita ego mitto vos, &c. Joh. XX. 21. &c. Pro Christo legatione fungimur, &c. 2. Cor. V. 20.* Cùm ergo Deus & Christus

Delicta gravia, capitalia etiam, in Reipubl. & proximi innocentis detrimentum nullatenus

redundansia, Pastor in sinum suum deposita, circa impietatis & perfidia notam ad iudicem deferre non potest.

peccata etiam gravissima hominis, peccata sua ingenuè confitentis, & ex animo detestantis, non revelet ad ulteriorem pœnam (uti vel solius adulteræ à Christo non delatæ, sed dimissæ exemplum Joh. VIII. 11. fidem facit) sed potius *tegar*, Rom. IV. 7. 8. debeat, Esaj. XLIV. 22. longissimè ab homine *removeat*, Psal. CIII. 12. imò *in profundum maris projiciat, & demergat*, Mich. VII. 9. atque hanc ipsam clementem suam erga pœnitentes *ἡμετέρας* per hosce legatos & præcones publicos prædicari jubeat: quomodo animum inducent hi Dei & Christi Legati, ut, quæ tegi, deleri, abjici, in profundum maris demergi dominus & legatarius vult, & se velle per eosdem significat, illi detegant, aperiant, & in conspectum & notitiam hominum punienda producant? Fateor equidem, distincta esse Divinum & Politicum forum, ut, quod in illo remittitur, in hoc puniri possit, ut supra diximus. Cœterum peccatores delictorum conscientia ægri Pastores adeunt, non ut ministros fori Politici, sed Divini. Cum peccatore igitur confitente, vel consilium implorante agendum ipsis est, pro ratione fori illius, cui ministrant, non pro ratione fori heterogenei. In hac enim consultatione Dei, Christi, non Magistratus personam agunt. Neque enim in hoc negotio inquisitio arcanorum judicialis instituitur, sed conscientias perturbatis, afflictis & tabescentibus consultitur. Tum Minister verba omnia, dicta & facta sua ad ædificationem, non ad destructionem fidelium referre debet. *Potestatem mihi dedit Dominus eis ὀικοδομῆν καὶ ἢκ εἰς καὶ θάλασσαν ad adificationem & non ad destructionem*, 2. Cor. XIII. 10. Atqui potestate & severitate sua Ministri Verbi Dei ad destructionem, non ad ædificationem uterentur, si miserorum & pœnitentium anxietatem & occulta proderent, tum quia peccatoribus peccata sua ingenuè confitentibus præsentissimum periculum crearent, ipsùmque etiam pœnitendi tempus præciderent, atque sic panem consolationis petenti lapidem, piscis spiritualium escam appetenti serpentem, denique ovum desideranti scorpionem porrigerent; quod ab omnium patrum carnalium, nedum spiritualium affectu & ingenio abhorreere satis Christus Matth. VII. 9. Luc. XI. 11. 12. innuit: tum quia innumeri peccata & ulcera sua Pastori consolationis gratiâ nudare parati, proditoris, & atrocis in primis pœnæ metu id omne negligent, atque sic conscientiam criminibus implicatam exsolvere ipsi non valentes, Pastores ejusmodi & *αἰδουρογλώσσοι* reformidantes, ad desperationis barathrum præcipites ruent. Talisne verò fuit spiritus, tale *φρόνημα* Christi, cujus in reconcilia-

ciliatione hominum cum Deo ministros se profitentur? Atqui ille
venit, non ut perdat amplius, sed ut salvet, quod perierat, Matth. XVIII. 11.
Ecce servus ille meus, quem elegi, dilectus ille meus, in quo acquiescit anima mea.
Ponam spiritum meum super ipsum, & iudicium gentibus annuntiabit. Non liti-
gabit, neque clamabit, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus. Arundinem
quassatam non confringet, linum fumigans non extinguet, usque dum protulerit
ad victoriam iudicium, Matth. XII. 18. 19. 20. Faciunt huc dicta Solomo-
 nis: *Qui obtrectat, revelat secretum, & qui fidelis est animâ, tegit rem, Prov.*
XI. 13. Qui revelat arcanum obtrectator est, ibid. XX. 19. Cùmque in con-
 sultatione hac semper promissio de celando delicto ejus, qui consul-
 tatur, vel expressa, vel tacita, quæ ex modo dicendi ac recipiendi,
 & ex verbis confidentiam significantibus & suadentibus colligitur,
 intercedat, manifestum est, hanc secreti revelationem cum veraci-
 tate & fidelitate, quam jure naturali observare tenemur, quin &
 cum ipsa societate civili, cujus ex istiusmodi secretorum detectione
 perturbatio oritur, pugnare. Si porrò juxta illud S. Petri, *Charitas*
multitudinem peccatorum operit, 1. Pet. IV. 8. & illa Solomonis: *Odiu*
excitat lites, & omnia delicta tegit dilectio, Prov. X. 12. Tegit delictum, qui
querit charitatem, Cap. XVII. 9. maxima porrò Pastoris erga ovicu-
 las Christi pœnitentes charitas esse debet, non utique multitudi-
 nem delictorum is aperire, sed operire debet. Accedit, quòd con-
 sentiente omnium ferè Juris peritorum calculo, gravis etiam sceleris
 sibi conscius se ipsum deferre ad iudicem non tenetur, quia non aliis
 præter ipsum scelus innotuit. Pari ergo ratione qui solus ex rei li-
 bera confessione scelus aliquod compertum habet, ad revelandum
 illud non tenetur. Cur enim teneretur magis, quàm reus ipse? De-
 nique hæc infida secretorum proditio non caret periculo. Quid e-
 nim si, qui arcanum in Pastoris sinum necessitates suas deposuit, pro-
 ditus, pœnæ sibi imminentis metu, spontaneam confessionem, deli-
 ctorum imprimis atrocium prius factam revocet, & in revocatione
 illa adigentibus tormentis perstet, qua ratione Pastor fidem suam ita
 liberabit, ut vel detractor, vel crudelis, qui tormentorum causa ovi-
 culis suis extiterit, vel Sinoniis artibus deditus, hoc est, astutus &
 fallax proditor non habeatur, & muneri suo labem nullam asper-
 gat? Hinc adeò Christus non ad iudicium duntaxat, sed ad delatio-
 nem etiam eorum, qui occultis peccatis admissis corrigi se ab uno
 vel duobus non patitur, testimonium duorum vel trium exigit. *Si*
non audiverit te, assume unum vel alterum, ut in ore duorum vel trium testium

veritas consistat. Si nec his obediuerit, dic (stipatus testibus illis) Ecclesia, Matth. XVIII. 17. 18. Et contra seniore[m] (atque ἀναλόγως quemvis alium) accusationem nisi duobus vel tribus testibus stipati suscipi S. Paulus 1. Tim. V. 19. vetat ; cū[m] tamen ordinariē ad delationem qualifcunque notitia sufficiat, neque testimonia requirantur. Sed aliud videlicet est notitia ex confessione delinquentis petita : aliud notitia aliis argumentis freta. Illa testibus indiget : hæc non item.

Consentien-
tibus Theo-
logis, tum
patriis,

LII. Neque hæc priva & singularis sententia est unius vel paucorum. quanquam satis est, eam firmissimarum rationum tibi-
cine niti, ut hominum consensus exigi non debeat. Sed novita-
tis tamen & ἰδιόγνωμοσύνης suspicionem satis illud depellit, quod &
Ecclesiæ patriæ antecessores, & Theologi exotici, quotquot in hoc
argumentum inciderunt, se paria sentire testati sunt. Inclytæ me-
moriæ ille Papalis stabuli expurgator, Hercules, Huldricus Zwin-
glius, *Explanat. art. 52.* in confessione auriculari Pontificia hoc inter
alia vitium notat, quod *Sacerdotes quidam malè taciti sint, qui omnia effu-
tiant, pleni rimarum, ut pertusa dolia.* Subjicit: *Factum est aliquando, ut non
raro confitentes in capitis discrimen hoc pacto venerint.* quod detestanti similis
narrat Ludovicus Lavaterus, magni nominis quondam Ecclesiæ no-
stræ Antistes *Comment. in Prov. XXV. 9. Arcana, inquit, non sunt temerè divul-
ganda. Nam si deposita sunt custodienda, etiam arcana, quæ nobis commissa sunt.*
Paulò post: *Concionatores illa, quæ eis committuntur ab afflictis hominibus, ne ef-
futiant; Hoc enim non est bonorum virorum.* Synopsis Theologica à Ven.
Ecclesiæ nostræ Antistite, Jacobo Breitingero, qui, ob sapientiam ra-
ram, *Platonis Christiani* nomen meruit, composita, & à Theologo so-
lidissimo, Præceptore nostro meritissimo, Rodolpho Stuckio, scho-
liis aucta, sic *lib. IV. 3.* eandem in rem sic loquitur: *Confessio à peccatore
postulanda est dexterimè & prudentissimè, partim, ne illam non exigendo pecca-
torem dimittas saucium: partim, ne confiteri adhuc reluctansem instantius ur-
gendo peccatorem ipse saucies, & vim afferas innata verecundia: Scholion
sic hæc declarat. Jubeat Apostolus Gal. VI. 1. præoccupatum peccato καὶ ἁμαρτίᾳ
ἐν πνεύματι πρῶτον & instruere cum spiritu mansuetudinis, vel reconcin-
nare, ac supplere in eo, quod deest. v. 2. Alios enim aliorum onera portare, &
ita complere legem Christi oportet. Peccatorem iræ Divinæ metu consternatum
erigere & sublevare, prudentia & charitatis est. Sic cum illo agere oportet, ut
conscientiæ suæ vulnus tibi aperiat. Quod ut lubens faciat, (NB) promitten-
dum illi silentium, ut honori ipsius consulas: solatium, ut salutem. Ex innata
autem verecundia confiteri reluctanti, temporis non nihil concedendum est, do-
nec*

nec de charitate & dexteritate tua certior conscientiam suam peccatis sauciam ul-
 trò tibi detegat, & consolationem appetat. Tunc illum, ut Apostolus monet, *κα-
 ταπέριζεν*, id est, spiritu lenitatis, argumentis ex Verbo Dei petitis instaurare &
 curare oportet: sicut medici luxata membra componere, & vulnera sedare so-
 lent. Deum imprimis ora, ut ipse proximi tui infirmitatem spiritu suo sublevet.
 Difficilius hoc sit negotium, si ex peccato pluribus noto ignominosa alicujus pœna
 metus impendet. Nihil profectò ad salutem peccatoris sobrium magis
 & sapientiùs præscribi poterat; ad quam consequendam multum
 conducere manifestum omnino est, ut haud multis peccatum, quod
 conscientiam vastavit, innotescat, quod si innotuerit, difficilior
 cura spiritualis evadet. Denique cursus Theologicus, ex Theologi
 consummatissimi, Henrici Altingii scriptis à Celeb. Hottingero in
 usum Scholæ nostræ collectus, *Loc. XVIII. 12. Lit. C. p. 806.* ita confes-
 sionem apud homines arbitrariam commendat, ut confitentibus si-
 mili modo caveat. *Ministorum, inquit, cum primis & Presbyterorum hic com-
 mendari debet opera: qui tamen facinus aliquod occultum sibi ab homine con-
 scientiæ angustia presso revelatum, nisi publicæ tranquillitatis & salutis ratio id
 requirat, evulgare non debent, ne consolationis Ecclesiæ occasio aliis præcidatur.*

LIII. Exoticorum testium nubem colligere proclive foret. *nam exoti-
 cis, Pontifi-
 cis, Augu-
 stanis,*
 Pleni eam in rem sunt canones Juris Canonici ita dicti. quanquam
 illis inniti nihil attinet. Pleni libri Theologorum Augustanorum,
 qui dicta quædam magni cœtera Lutheri ostentant paulò crudiora,
 quibus ille confessionem non Sacerdoti, sed Christo factam, adeo-
 que à Sacerdote, utpote in scio, ne utiquam producendam, pertendit.
 Verba ejus *Colloq. Mensal. cap. 14.* ejusmodi sunt, ut repetere verecun-
 der. *Ordinatio Ecclesiastica Electoris Saxonica art. gener. 7 §. ult.* gra-
 vi sub pœna sancit, ut Minister Ecclesiæ crimina sibi confessa nemini,
quisquis ille sit, (niemand / wer der auch seyn möchte) revelet. Unde
 Jctus celebris Carpzovius *lib. III. Jurispr. Consistor. Tit. II. def. 25.* infert.
*Quòd si ergo nemini prorsus Minister Ecclesiæ confessionem aperire debet, non cer-
 tè judex Ministrum Ecclesiæ ad testimonii depositionem compellens exceptus erit.*

LIV. Sed missis his, Theologi Reformati exotici haud ima ex *nam Refor-
 matis, Per-
 kinso, Jose-
 pho Hallo.
 Disciplina
 Ecclesiæ
 Gallicanæ,
 Alstedio,
 dei Zeppero.*
 cera produci plures possent. Paucos & celebriores Ecclesiasticæ Po-
 litices & Casuum Scriptores adducere haud pigebit. Guilielmus
 Perkinsus Anglo-Britannus, doctrina, candore, judicio præstantissi-
 mus Theologus, *Cas. Consc. lib. I. cap. I.* circa privatam confessionem
 cautiones edisserens, quartam & postremam his verbis explicat: *Is,
 coram quo confitendum, & in cujus sinum conscientia onus deponendum, bonæ fi-
 dei Zeppero.*

dei & magna taciturnitatis esse debet, qui possit & velit confessa silere, & in oblivionis quasi sepulchro recondere. Charitas enim juxta illud Petri, operit multitudinem peccatorum. Josephus Hallus, Episcopus Norvicensis, Anglus, pietatis & eruditionis raræ decantatus Theologus, Consil. Consc. q. 7. graviter sic consulit: Si quis conscientia angustiis pressus peccatum occultum antehac patratum, desiderio consilii vel consolationis à te percipiendæ tibi revelaverit, potius animam à corpore tuo dividi, quàm committere, ut arcana isthac labiis tuis excidant, patieris. Facit huc inprimis Ecclesiæ Gallicanæ olim sub Imperio heterodoxo & infenso licet, Edictorum sacro-sanctorum vi, florentis adhuc, Disciplina, cujus articulus 30. sic habet: Quod crimina spectat, quæ Ministris illi detexerunt, qui consilium & solatium quasi-verunt, omnibus Ministris illorum revelatio, seu, delatio ad Magistratum interdicta est, ne Ministerium reprehensionem incurrat, & peccatores à pœnitentia, & libera delictorum confessione absterreantur. Id quod in omnibus criminibus confessis, solo læsæ Majestatis excepto, obtinebit. Et tantus sanctionis illius rigor fuit, ut non tantum art. 28. severè cautum fuerit, ne vel consistoria, vel membra consistorii scriptis vel alio modo cuiquam detegant confessionem resipiscentium eorum, qui vel sponte sua, vel aliorum hortatu delicta sua ipsis confessi fuerint, solo læsæ Majestatis excepto: sed etiam art. 29. constitutum sit, ut censura Ecclesiastica, usque ad excommunicationem, in eos stringatur, qui Pastores & Seniores, vel integrum consistorium ad tribunal Magistratus vocant, quò restentur contra delinquentes, qui lapsus suos coram iis confessi fuerint. Henricus Alstedius, πολυμαθὴς & ille, Theol. Cas. cap. 2. Pastor ille, inquit, qui audit confessionem, non debet divulgare peccatum, sed illud omni studio secretum habere, nisi gloria Dei, & salus tum Ecclesiæ, tum Reip. tum ipsius peccatoris contrarium suadeat. Guilielmus Zepperus, prudentissimus ille Politicus Ecclesiasticæ consultus. Polit. Eccl. lib. I 19. Quòd si, inquit, Senioremi quispiam (quos inter etiam Pastores refert) ἐπ' αὐτοφώρῳ sceleris solus quendam deprehenderit, aut reus peccatum in unius Presbyteri aurem retexerit, ad Presbyterium rem non deferet, neque ad alios divulgabit, sed secreto illum ad resipiscentiam exhortabitur. Si enim is forte scelus admissum neget, Presbyter testibus destitutus, Penelopes telam texet. Deinde Presbyteria, tanquam ad arces Sinonias comparata, traducentur, vilescunt, & nullis non suspecta reddentur. Alii etiam absterrebuntur, quò minus conscientia scrupulos in sinum Ministrorum aut Presbyterorum exonerent, aut Ecclesiæ consolationem querant, adeoque nimia tristitia absorpti, & à Sathana præoccupati salutis jacturam facient. Denique si factum suum, aut confessionem insiciaretur reus, omnia in incerto essent, neque proficeretur quicquam, &c. Hæc enim tota disciplina ratio & administra-

zio non est Politica, sed Ecclesiastica & Spiritualis, adeoque conscientias coram Deo spectat, & non fori, sed Poli iudicium est. Quare hic confusio graduum, seu Ordinis Ecclesiastici & Politici probe cavenda est. Ubi regula tenenda, quod in sceleribus publicis pœna publica Magistratus, disciplinam vel censuram Ecclesiasticam non tollunt, & vicissim. Versantur enim hic Magistratus & ministerium circa idem objectum quidem, verum dissimili ratione, & distincta jurisdictione, potestate & gladio.

L V. Cœterum grave nonnullis videtur, à Pastore & quovis alio occultari, & non deferri ad iudicem peccata in sinum sibi deposita, quæ iterari possunt, atque iterari ad iudicem delata, & ab eodem punita non potuissent. Verum isthæc ratiocinatio viro prudente indigna est. Primò enim non stringit nisi in criminibus atrocioribus & capitalibus, quæ vita erepta iterari non possunt. Sunt verò alia etiam delicta non capitalia, quæ Pastori revelata, & ab eodem ad iudicem delata, & secundum leges punita, nihilo secius iterari possunt. Secundò peccata atrociora Pastori revelata, ab eodem occultantur non temerè, sed graves, quas supra attulimus, ob causas. Facta autem & consilia humana ratione librari & institui, non ex eventu, qui ut plurimum incertus, nulla providentia avertitur, dijudicari debent.

Objectio,
quod grave sit, non deferri crimina, quæ iterari possunt, diluatur.

————— Careat successibus opto,

Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Tertiò peccata quævis Pastori revelata ab eodem occultantur, non ut fomentis adhibitis ab eo alantur, sed potiùs, ut vera & salutari pœnitentia, cui longior vitæ tractus & Pastoris consilia inservire possunt, expientur, melioribusque adeò, non paribus, vel deterioribus etiam factis in posterum compensentur. Nam qui eiusmodi delicta in Pastoris sinum deponit, non tantum præsumitur urente & mordente conscientia, adeoque totus in pœnitentiam gestiens, & à peccato iterando abhorrens, ita facere, (quoruscumque enim sine gravissima & inevitabili causa ulcera sua nudaverit?) sed etiam à Pastore gravissimis consiliis, admonitionibus, obtestationibus, iræ Divinæ adversus contumacem denuntiatione, & remissionis peccati erga credentem, pœnitentem, & à peccato abstinentem, ex Dei verbo declaratione atque promissione ad pœnitentiam ἀνομιάντων acriter stimulat; neque semel ita stimulasse contentus, deinceps etiam ejusdem vitæ assiduè, & longè, quàm incognito ejus delicto & statu facturus fuerat, diligentius invigilat & imminet, atque plus

G

etiam

etiam ab eo, quàm à quovis alio exigit. Quò plura enim & majora peccata remittuntur, hoc ardentior & vehementior Dei dilectio, atque juxta eandem à peccatis quibusvis, gravioribus imprimis, abstinentia requiritur. *Multa peccata ei (mulieri pœnitenti) remissa sunt, quia multum dilexit. Cui verò parum remittitur, is parum diligit, Luc. VII. 47.* Quòd si res isthæc tota fallit, & eventum contrarium fortitur (quamvis in peccatum idem ex humana infirmitate regenitus etiam incidere potest, atque incidens non ideo statim de statu gratiæ, in quem prior illa pœnitentia peccatorem confitentem asseruit, ita excidit, ut à Pastore solo relapsus conscio sine ulla delicti & delinquentis discretione ad judicem deferri debeat, quòd ex Matth. XVIII. 21. 22. dijudicandum,) jam Pastori accidit, quòd medico, qui salutaribus remediis adhibitis alios quidem restituit, alios verò, validiore morbo, sibi relinquit.

Non est in medico semper relevetur ut ager,

Interdum docta plus valet arte malum.

Nemo tamen unquam propterea corporali medico succensuit, vel vulnera ei non aperienda insanivit. Cur ergo spiritali medico, cujus omnis operatio à supernaturali Dei gratia unice dependet, infelix ille successus exprobrari, vel secretior ejusdem cura in universum damnari debeat? *Quarò* denique scrupulus iste etiam civilem judicem urgebit, ut ei pœnam capitalem suspendere, mitigare, imò in solidum etiam condonare integrum futurum nunquam sit. Constat tamen in perduellione, cui magna peccantium turba implicita est, à judice probo & tyrannidi non assueto exemplum pœnæ ad paucos, terrorem ad omnes dirigi: Ubi locum habet illud Symnachi Epist. lib. I. 30. *Moribus sævis familiare est atque cognatum ex armare spiritus impunitatis exemplo.* Quando etiam spes est, ut qui deliquit, se ipsum corrigat citra pœnam; aut jactura dignitatis, in quem peccatum est, metuenda non est; aut meritum, spes magna in posterum, vel aliud quid delinquentem commendat; aut peccatum ex ignorantia vel infirmitate animi difficulter superabili processit; aut peccatum tale non est, ut ejus pœna exemplari publico necessario consulendum sit; judex civilis se dispensare, vel pœnam prorsus remittere posse arbitratur. Quid ergo, si post dispensationem & condonationem pœnæ à judice factam, peccator delictum suum iteraverit, & ad vomitum redierit? An in se hujus relapsus culpam hæere, judex agnosceret? Par, imo melior causa erit Pastoris, qui peccato-

catozem occultum in finum suum confugientem ad poenitentiam ducens, facit, quod partium ipsius est, nec de jure suo quicquam remittit.

LVI. Superest Forum *Privatum*. Licet enim proprie privatus judiciale & coactivum, uti appellant, forum nullum habeat, jus tamen habet, offensas & injurias sibi ab aliis factas per imploratam judicis sententiam persequendi, & liquidi juris sui restitutionem exigendi. Ad eum proin offensae & injuriae sibi illatae cognitio, & satisfactionis requirendae potestas pertinet. Qua in re fori quaedam ratio & similitudo est. Hinc S. Jacobus hortatur: *Confitemini alii alii peccata, & orate pro vobis invicem, ut sanemini*, Jac. V. 26. ubi peccatum tum scandalum ex peccato, proximum quemque ad ruinam aedificans, tum injuriam & offensam proximo illatam significat, quae ita proximo confitendae sunt, ut de jure ei restituendo cum eodem amice transigatur.

Forum privatum quale sit, exponitur.

LVII. In hoc etiam foro delatio quaedam locum habet. Charitas enim, qua proximo cuivis, aequè ac nobis ipsis, devincti sumus, nos obligat, ut ejusdem honori, fortunae & vitae conservandae & vindicandae enixè studeamus; neque adeò de fratre, tribuli, cive interrogati, nobiscum cogitemus; *השמר את אנוכי* Num quid custos ego sum fratris mei? Gen. IV. 9. Imò Deus & fratri, & civi custodes nos constituit, quem diligere aequè ac nos ipsos debemus. Quos non servasti, perdidisti. Quòd si ergo proximi cujusvis innocentis honorem, fortunam & vitam in praesens discrimen ab hominibus improbis adduci videmus, & certò novimus, si aliter periculum ab ejus capite propulsari non posse appareat, cuilibet, non qua is in hoc vel illo statu locatus, sed qua homo, Christianus imprimis est, incumbit, ut improborum machinationes adversus innocentes, vel injurias iisdem illatas, quatenus illas resarciri adhuc posse constat, ad eundem, non malivolentiae, vindictae, vel alio quovis atrae loliginis succo imbutus, & ad prodendum delinquentem concitus, sed solo purae charitatis erga proximum studio inflammatus, deferat. Quae res cum nullam dubitationem habeat, ampliozem etiam tractationem nullam postulare videtur.

In eodem foro delatio quaedam locum habere potest.

LVIII. Sed haec dicta, coronodis loco, in pauca contrahere, & simul Regulas certas & fixas, juxta quas delatio delinquentium omnis rectè & pie dirigi, & institui valeat, statuere lubet. Primò igitur Delatio delinquentium quaedam, puta in causa honesta,

Duodecim regule, ad quas delatio omnis.

exalta in-
stitui potest,
figuntur.

ex autoritate legitima, sine honesto, qui est intentio abrumpendi peccatum proximi, & periculum ingens avertendi; per media convenientia instituta ipsa quoque honesta, legitima, necessaria est. His verò conditionibus destituta obrectatio potius, & improba digiti extensio, quàm honesta delatio est. *Secundò* nec quivis delator admitti debet, nec semper, nec in quovis negotio, nec contra quovis, nec admissio semel temerè & sine inquisitione ulteriore temerè fides adhiberi debet. *Tertiò*, se ipsum deferre nemo tenetur, etiam anquisitus à iudice, si de còetero infamia nulla laboraverit. *Quartò*, conscientia tamen stimulis adactus se ipsum ultro apud iudicem deferre potest, si conscientiam perturbatam, absque satisfactione eidem debita & oblata tranquillare non possit. *Quintò*, in foro Divino Ministeriali peccator sua, & quivis aliorum etiam gravia delicta, ubi præsens animæ periculum id exigit, ad Pastorem deferre, consilii & opis ex Dei verbo impetrandæ gratia, potest & debet. *Sextò*, in Ecclesia fidelis quivis peccato proximi offensus, offendentem, si contumacem se adversus corripientes duos vel tres gesserit, ad Ecclesiam ordine suo deferre tenetur. *Septimò*, Ecclesia peccatorem præfractum & incorrigibilem ita habere pro Ethnico & Publicano debet, ut vel eum etiam invitum, atque reluctantem sacrorum communione moveat, ubi id sine majori incommodo fieri potest: vel ubi id Ecclesiae & disciplinae ratio singularis non permittit, saltem severè & publicè jubeat sacris symbolis ad iudicium suum non abuti, atque de còetero eum non immediatè, sed per officiales consistorio præsentes ad Magistratum corrigendum deferat. *Octavò*, in foro Politico delatoris officium sua sponte nemo occupare debet. Vocatus tamen à Magistratu officium illud suscipere & legitimè obire potest. *Nonò*, quilibet tamen privati etiam, ad id specialiter non vocati, sola charitate jubente, ad Magistratum deferre delicta quaedam tenentur, illa puta, quæ vel immediatè Dei Majestatem, & humanam societatem infestant, vel mediatè in publicam perniciem tendunt, vel ejusmodi sunt, ut eorum delatio ad delinquentium emendationem procurandam, & delicti iterationem impediendam omitti non possit, nisi fortè detrimentum ex talibus delictis in Dei gloriam, societatem humanam publicam, & delinquentem ipsum alia via molliori averruncari possit. *Decimò*, Pastor Ecclesiae delatoris ad iudicem civilem speciale munus suscipere nullo modo potest. *Undecimò*, potest tamen & debet Pastor tum Ecclesiae nomine incorrigibiles; tum non à peccatore confitente, sed aliunde sibi nota ejusmodi delicta, quæ à quovis privato & cive deferri debere regulâ non à diximus, ad Magistratum deferre, vel mediatè per officiales Magistratus, vel, si hi officio suo defungi neglexerint, immediatè etiam. *Duodecimò*, Pastor Ecclesiae delicta atrocia & capitalia, sibi à delinquentibus, quos ad id conscientia angores stimulant, consilii & consolationis percipiendæ gratiâ, revelata & confessa, quatenus citra gloriæ Dei, Reipublicæ, Ecclesiae, & innocentis cujusvis detrimentum notorium vel delinquentes ipsi, vel delicta, vel ambo occultari possunt, religiosè occultare tenetur, neque unquam ad iudicem deferre potest.

SOLI DEO GLORIA.



3957
MC

VD 18

ULB Halle 3
003 855 333




TA → L


VD 17

MC

Rho







5.
RATIO CASUI-
TICA

De

TIONE UENTIUUM.

quam

IO NUMINE

ἐξέτασι *subiicit*

HEIDEGGERUS,

l. D. & P. P.

bondente

RUNNERO, V.D.M.

strumente

WALDIO, S.Theol.Stud.

di Maji, H.L. Q.S.

GURI.

DIS GESSNERI,

C XCII.

fig

